


EPISTULA LEONINA

CCLXXIV

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM SEPTUAGESIMAM QUARTAM (274)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA	03-05
ANIMULA VAGULA BLANDULA.....	06
AD CASIMIRUM POETAM..... Carmen quod pepigit Antonius Horatius Bologna	07-09
DOMINE, AD QUEM IBIMUS? (Ioh.6,68)..... Homilia a Petro Hahne habita	10-23
SI PENTECOSTE EST ECCLESIAE NATALE..... Petrus Hahne recenset peccata Ecclesiae pandemica	24-29
CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA.....	30-35
DE CHRESTOMATHIA PHILIPPI NEOLATINA.....	36-48
Praefatio Ferdinandi Philippi eiusque versio Latina.....	37-41
Ver.....	41-42
Antrum Calypsonis.....	42
Machina displosiva.....	42
Palma Indica.....	43-44
Apes.....	44-45
Insulae Beatae.....	45-46
Villa Imperatoris Sinarum.....	46-48
DE LATINIS AMBULATIONIBUS AUGUSTANIS scitê refert Maximilianus Pulcher mystagogus.....	49-51
ECHUS VOCES EPISTULAE..... Christianus Laes Praeses ALF (52) – Gaius Licoppe Nestor ALF (53) – Antonius Horatius Poeta Laureatus (53-54) – Ansgarius Osloensis (54-56) – Joannes Carolus Mediolanensis (56-57) – Radulfus Argentinus Bonaeropolitanus (57-58) – Alexander Hippomylius (58) – Maximilianus Pulcher Mystagogus Augustanus (58-59) – Paulus Chilianus Iacobopolitanus (59-60) – Urbanus Ferrarius Brasiliopolitanus (60-62) - Marcus Cristini Brixianus (62-63) – Thomas Ihnken Coloniensis (63) – Victorius Ciarrocchi Pisarenensis (63-65) - Maurus Pisini Poeta Laureatus (65) - Naevius Sartorius (65-73)	52-73
CINEMA SPECTATU DIGNISSIMUM.....	74
DULCE EST DESIPERE IN LOCO.....	75
ECCE LIBRI LEONIS LATINI.....	76-79

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

quomodo te habes? Rectêne vales? Utinam fruaris lectione Epistulae Leoninae novissimae i.e. ducentesimae septuagesimae quartae! Liceat unâ tantum septimanâ post Festum Paschatis tibi pandere homiliam christianam a me Latinâ veste donatam; nescio, utrum fidei christianae deditus sis an alii an prorsus nulli – habeas tibi! – sed spero hanc homiliam tibi placituras esse. Petrus Hahne olim diurnarius et moderator televisionis politicus, nunc libris suis et histologiis interretialibus in claritudinem pervênit, quibus vitia et stultitias gubernantium tam scitê et acriter et delectabiliter vituperare solet, ut lectorum et auditorum alliciat aliquot miliones. Equidem plurimum admiror homilias eius; babae! Quam eloquens est! Quantâ memoriâ viget et valet! Quam lepidê, quam eleganter, quam iocosê scit fabulas et anecdotas narrare! Numquam antea audivi homiliam Hahnianâ meliorem (p.9-22). – Plurimum tibi commendo episcopos a Petro Hahne luculenter castigatos; qui interdum scribit cum sale nigro, sed semper magno cum lepôre. Non puto Reinhardum atque Henricum vapulare innocentes (p.24-29). Nuper invêni in abyssis interretialibus gazophylacium litteraturae neolatinum mirabile: Chrestomathiam Philippi; cuius florilegii auctorum Neolatinitatis prosaicorum septem invenies cimelia: tolle lege frueri (p.36-48)!

Ne umquam praetermittas, o Musae Leoninae amatrix amatorve, carmina Antonii Horatii poetae laureati (p.7-9) et chronogrammata Tobiae Rössler artificiosissima (p.30-35)!

*Non possum quin tibi plurimum commendem, ut cognoscas **Mystagogum Pulchrum** (p.49-51)! Maximilianus enim Pulcher **Latinissimê** tecum loquens tibi monstrabit monumenta urbis suae patriae, quae est Augusta Vindelicum! -*

*die Saturni, die 13 mensis Maii, hora secunda pomeridiana - die Saturni, die 17 mensis Iunii, hora secunda pomeridiana - die Saturni, die 22 mensis Iulii, hora secunda pomeridiana - die Saturni, die 16 mensis Septembris, hora secunda pomeridiana - **Cara Lectrix, Care Lector, Cape occasionem!** - Sed*

*iam antea tibi erit occasio **Mystagogum Latinê** loquentem necnon eiusdem sodalem etiam **Latinê** loquendi peritissimum, qui vocatur **Christianus Aerarius** (sive **Cyprinus**), conveniendi:*

*Nam proximo die Veneris Monaci in capite Bavarorum sub Columnâ Marianâ fiet Colloquium Latinum: Colloquium subcolumnare: »**Maximilianus Schön** et **Christianus Kupfer** et fortasse alii quoque*

*Latinistae die 21 mensis Aprilis hora quarta post meridiem in **Forum Mariae Monacense ad columnam Marianam** conveniemus, ut confabulemur et sermonem conferamus. Fortasse ad iucundam confabulationem nostram in cauponam aliquam aut in thermopolium aliquod transibimus. Visne supervenire atque gregiculo nostro aggregari? Valde gaudebo, cum te cominus salutare potero!«--- »**Latine loqui in München** Treffpunkt: Freitag, 21.4., 16 Uhr **Mariensäule** auf dem Marienplatz – Kleiner Spaziergang und "Convivium" in München - Gebt mir am besten kurz Bescheid, dass - bzw. zu wievielt - ihr dabei seid! :-) - cf_kupfer@yahoo.de / 01578 7555 348 --- **Christianus** sodalibus carissimis s.p.d. Utinam quam optime valeatis! - Certiores vos facturus eram de **Convivio Latino** propediem futuro. Si proximo Veneris die vacabitis, pergrati eritis.- Conveniemus sub columnam Marianam - scilicet in Foro Mariano sitam - hora 16.00. - Venite quam plurimi!- Valete!«*


*Haec hactenus de **COLLOQUIO SUBCOLUMNARI MONACENSI** deque **AMBULATIONIBUS AUGUSTANIS** (cfr p.49-51). - Ceterum intimo ex animo tibi suadeo, ut perlegas etiam epistulas et echûs voces mihi a lectoribus benignê oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ...(p.52-71). ---*

Denique licet annuntiare acroasin interretialem (systemate ZOOM diffundendam) Leonis propriam: : Die 29. m.Apr., i.e. die Saturno, horâ quintâ postmeridianâ loquar DE ORBE PICTO HEXAGLOTTO, i.e. de lexico picturato Latino eiusque Glossario, quod compono. Acroasis fiet sub aegide Academiae Latinitati Fovendae (ALF), cui praesidet Christianus Laes Professor philologiae classicae Antverpiensis (cfr ep.p.52). Nicolaus (NicoDe Nico) secretarius Academiae nonnullis diebus ante acroasin faciendam sodales Academicos certiores faciet de signo speciali, quod computatro si inscripseris, poteris particeps fieri huius conferentiae interretialis. Nisi sodalis Academiae, sed hospes sive visitator es, scribe aut mihi aut NicoDe Mico, ut accipias signum participandi: nicodemico4@gmail.com

Nunc helluare symbolis huius Epistulae Leoninae. Si eos textûs quos Leo aut edidit aut ipse scripsit aut togâ ornavit haud aspernatus eris - »sublimi feriam sidera vertice«. - Cara Lectrix, care Lector, --- pancraticê valeas et pergas mihi favere. Medullitus te salutat...

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae




<http://www.leolatinus.de/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae

Die Martis, 18. m.Apr. a.MMXXII



ANIMULA VAGULA BLANDULA

Animula vagula blandula sunt verba primae lineae carminis *Historiae Augustae*, quod fertur scriptum esse ab Imperatore HADRIANO (117-138, *76 p.Chr.n.) morituro.

*Animula vagula blandula
 Hospes comesque corporis
 Quae nunc abibis in loca?
 Pallidula rigida nudula
 Nec ut soles dabis iocos*

CARMEN ANTONII HORATII

Ad Casimirum poetam

Concinant clarum iuvenes poetam,
quem virum doctum reputant Poloni;
concitent doctae iuvenum tenella
corda Camenae.

Quid putent cives, memorent Olympi
maximae divae, quoniam Minerva
pectoris motus aluit diserti
vatis amica? 5

Ite vos tantis meritis, Poloni,
ite vos prisci merito poetae
nominis tanti memores, superbi
ite per orbem. 10

Incluti versus utinam legantur
in scholis nostris, veniente sole:
multa quam nostri iuvenes decori
discere possunt. 15

Cur tuum carmen, Casimire, nullus
amplius noscit? Nova monstra mentes
somnia ditant hominum misellas
tempore pravo. 20

Artibus miris animosa corda
molliunt ac turpe videtur illis
mortuis magna studuisse cura
noctibus atris.

Gressibus pergit studium iuventa
parva pertardis ubi tu solebas
oppidi Musas tacitam per aethram
fundere doctas. 25

Musa mellito labio fluebat,
masculum ut pectus sonitu moveret. 30
Fontium lymphae tacitae stetero,
ore canente.

Dulce te cantante, cacumen altum
flectitur quercus patulosque ramos
populus curvat, feriente sole
membra tenella. 35

Virgines dulces puerosque fortes vinciunt gratis laqueis, labella carminum lenes numeri fluentes murmure lento.	40
Martyres, Christum cecinere versus, virgines mites, Mariam beatam, Spiritus Sanctum populumque rectum templa petentem.	
Nostra nunc vero reseravit aetas, quae tibi doctrina siet, poesis magna quam multos celebret potentes, o Casimire.	45
Alma te Mater fovet atque rerum Conditor de sede venit beata, conspicit mitis tenerum poetam ore secundo.	50
Percipit pectus Dominum benignum cum Paraclito, modulante carmen corde iactato manibus supernis, lentus in arvis.	55
Percutit pectus tenerae puellae noctibus blandum labium serenis: urit, incensus subito furore, virgine dulci.	60
Utque conspexit teneram puellam, dulce ludentem per aperta prata, corde combustus, rutilante Phoebo, coepit amare.	
Saepe contacti viridi, tumentes tractat incertis manibus papillas, uda contingit Casimirus ima, flente Minerva.	65
Lacteam cingit tenero lacerto virginem in pratis; mulier beata gaudiis ridens fruitur serenis, pectora mulcens.	70
Spiritus mollem, fugiente Phoebo, percipit tristis iuvenis poeta, illico quaerit vigilem Minervam vasta per arva.	75

Incipis coeptis superum favore
dexteram sollers, Casimire, claris
pectus ut primum dare molle, laeta
pace quiescis.

80


Incipit nomen volitare clarum,
pristinis donis iterum receptis;
iam venit Phoebus, redeunt Camenae,
mira ferentes.

Nuper at docti tenebras silentes
candidis chartis pepulere, certi
corde venturos iuvenes iuvare.

85

DOMINE, AD QUEM IBIMUS?

HOMILIA PETRI HAHNE d.25.10.2022 HABITA
EVANGELIUM SECUNDUM IOHANNEM 6,68



<https://www.youtube.com/watch?v=fKcR1TUnNvI>

Predigt Dr. h.c. Peter Hahne - Profilkonferenz 2022 //Johannes 6, 68: HERR, wohin sollen wir gehen?

EVANGELIUM SECUNDUM IOANNEM 6, 67-72: *Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro: et iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes, et nos credimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei. Respondit eis Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi: et ex vobis unus diabolus est? Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.*

„Saluto vos omnes perquam medullitus – qui iam primo mâne per nebulam huc venistis in hoc Centrum „*Er-lebt*“ (*Vivit*) magnificentum. Semper cogitaram hunc esse oecum urbanum cui esset hoc nomen mirabile, quod duceretur ab ‚*Erlebnis*‘ (i.q. ‚eventus‘, ‚i.q. experimur‘ aut aliquid simile. Postea demum invêni nomen spectare

ad communitatem christianorum, quae appellata esset formâ verbi temporalis, quae significat *vivit* („*Er lebt*“) et spectat ad Iesum qui resurrexit.



Nonnullis homiliis auditis – in fine audivi homiliam de prophetâ Michâ factam – dico: „*Centrum vestrum est admirabile!*“ Hic locus bene quadrat ad nos. Neque umquam cogitaveram hîc mâne primo ipsâ feriâ septimâ tot homines iam adfuturos esse. Quod attinet ad rem post meridiem agendam, adhuc poterimus telephonare, sed nonnulli visitaturi iam sunt in itinere. Fortasse in praesenti viam nondum inveniunt. Sed haec res est mirabilis. Gratias ago *Retificio Bibliae et Confessioni*, et Parocho Praesidi *Ulrico Parzany*, quod me invitaverunt. Quod mihi est etiam indicio confidentiae. Nec per unam secundam deliberavi, num promitterem me venturum esse. Semper tantum agitur de apto tempore. Scilicet me postquam exactê 50 anni transacti sunt, ex quo coepi operari apud *Stationem Radiophonicam Saravicam* – itaque afficior desiderio temporis transacti iterum iterumque attrahor illâ regione, ubi aliquando versatus sum. A.1972. Necnon licet dicere: Ex toto corde comprobo ea quae vos curatis ut estis *Retificium*: Vos et ego, nos sumus quodammodo eiusdem gregis sanguinis. Sentio hîc loco me interesse amicis. Hoc autem dico animo grato. Nos vinculo coniungimur amicitiae. Et quot et quantas res recordatus sum tamquam e somno excitatus! Inspectionem cauponarum feci Lucullianam heri et nudius tertius per Saraviam – quod animadvertitis me aspecto – botones non iam continent mea vestimenta. Iucundissima sunt quae hîc experior! Multos collegas quondam convêni homines – o quam delectabile! Dixit aliquis: ‚*Scisne te a me auditum esse acroasin facientem in viridario curatorio Tabernarum Montanarum?*‘ Quod mihi videtur ante centum annos factum esse! In *Conchâ Concenterium* – musica urbana! Ecclesia Cathedralis! *Rainer Wagner* – chorus trombonum!¹ Hodie hoc subito patefit! ‚*Scisne me ibi adfuisse? Hoc numquam confessus sum, numquam tibi dixi: Acroasin tuam numquam obliviscar!*‘ Modo demum aliquis me accessit, qui me Berolini audivit ante 38 annos – en animadvertitis aetatem meam esse paene Methusalemicam! ‚*Numquam obliviscar quomodo illo tempore de illâ foveâ narrasti, in quâ sedet homo, qui a nemine potest liberari nisi a Iesu.*‘ *Festum Aulae Silvae Apium!* In multis missionibus urbanis, ubi paene fui aliquatenus *inventarium vivum*. Quid hoc fuit? Ante 50 annos hoc mihi incohata est. Vita florentissima. Magnifici *Dies Trombonum!* Biponti, in *Ecclesiâ Alexandri*. Sed multa sunt mutata. Itaque bonum est, quod habemus *Retificium*. Et quod vinculo coniungimur amicitiae. Mihi quidem persuasum

1 ***trombō**, -ōnis m. *Posaune – trombone – trombone – trombón – trombone* [Athanasius Kircher: *Musurgia universalis*, Romae 1650, lib.I, p.56]

est post decem annos homines gaudebunt, quod nos fuimus. Qui non tacuimus. Incommodi, qui incommoda tradidimus, et qui clarê nuntiavimus Evangelium. Haec hîc expertus sum: *Ille vivit!* Quo cognito per 13 annos pertuli labores in *Radiophoniâ Saravicâ* exanclandos et deinde 13 annos sequentes in *Televisione Germanicâ Secundâ* Moguntiacensi et denique per reliquos annos *Berolini*. Hôc loco sunt multi homines responsales et parochi et praedicatores, qui ingentibus simultatibus expositi tamen pertulerunt! Interdum me pudet opulentiae meae. Si tardissimê, ex scandalo RBB bene scitis (cum fuerim redactor radiotelevisionis publico-iuridicae), scitis quantum pecuniae sit in computo meo. Mihi quidem facile fuit perferre ista tempora coronaria. Si quae necessitas nimium ursisset, potuissem me recipere, fortasse in Americam.



EDMUNDUS STOIBER (*1941, factionis CSU) a.1993-2007 praeses Bavariae ministerialis



DOLIUM ET HYALI CERVESIAE



ASSUM PORCINUM

His 50 annis, quibus diurnarius fui, participavi innumeros conventûs factionum. Semper autem sciebam, quorum particeps forem libenter et quorum – minus libenter - si orationes erant infinitae. Semper etiam sciebam: in quibusdam conventibus factionum praebantur *pulticula* et cibi *praevegani*, *tofu* et quaelibet similia. At erant etiam conventûs, in quibus offerebatur *assum porcinum* necnon *dolium cervesiae* impungi solebat. Numquam obliviscar: Conventum Factionis ipsius CSU (Unionis Christiano-Socialis), in quo **Edmundus Stoiber** orationem habebat: Qui loquebatur et loquebatur neque desinebat loqui. Auditores ipsi ex se quaerebant: Estne adhuc Dies Dominica? An est fortasse iam Dies Lunae? Subito autem *Stoiber* animadvertit inquietos esse auditores suos; nam nos diurnarii iam pridem scivimus: Dolium cervesiae erat impunctum et nidores per aera fluebant assi porcini, quod iam in gyrum dabatur per totum oecum! Cum autem îdem orator pertinax animadverteret auditores


esse impatientes, tum verba âlata citavit **Caroli Valentin**, illius magni comici, qui a **Lisulâ Karlstadt**, cum quâ solebat in publicum prodire ante 120 annos, accepit laudem dubiosam, quae fuit: *„Te quidem vellem audire per secundas temporis!“* Secundae - haec est unitas mensuralis temporis orationum in Conventu Foederali habendarum, sed etiam multarum homiliarum. Nonnullis secundis transactis auditores *obdormiscunt*. Apud **Carolus Valentinum** comicum illum magnum res sic se habebat: Cum homines plurimum ridebant, Valentinus loquebatur de re gravissimâ. Ita etiam fit in anecdotâ, quae narratur de **Carolo Valentino** per Monaci urbis partem mediam ambulante et aliquem transeuntem alloquente: *„Scisne, quaeso, quo ego ire velim?“* - *„Scisne, quaeso, quo ego ire velim?“* - Hoc factum est ante 120 annos. Amici, eâdem quaestione nos hodie commovenur: *„Scisne, quaeso, quo ego ire velim?“*



CAROLUS VALENTIN & LISULA KARLSTADT
(1882-1949) (1892-1960)

- Scitne Dominus *Lauterbach*, quo ire velit? Scitne minister oeconomiae, quo ire velit? Sciuntne factiones, quo ire velint? Scitne ecclesia, quo ire velit? Sciuntne collegia opificum, factiones, associationes, societates, sciuntne hae omnes, in quem locum ire velint? Cum omnes istas quaestiones tractant solvendas, remedia coronaria, bellum Ucrainense, rationem energiae politicam, inflationem monetalem imminens – sciuntne adhuc, quo ire velint? Cogitemus de vitâ nostrâ propriâ: Scitisne, quo ire velitis? An nullam habetis rem destinatam ante oculos? Multi hodie eunt expertes rei destinati, expertes consilii, expertes auxilii, expertes pyxidis magneticae: Ipsi nesciunt, quo ire velint! Nos oblîti sumus nos oblîtos esse Deum! Hoc resultatam accipimus analysi factâ subtilissimâ. Demoscopiis factis clarê patefit: Homines non iam confidunt. Quodcumque institutum facit sensûs civium investigandi, sive *Allensbachianum*, sive *INSA*, subtilissimum omnium quae sunt in Germaniâ, sive *EMNID*, sive *Grex Suffragia Investigandi* ipsius *ZDF* – resultata demoscopiarum sunt horrenda! Cives non iam confidunt! Neque iam confidunt diurnariis, neque politicis, neque ullo modo ecclesiae! Homines magis confidunt ipsi

Societati Autoraedariorum Germaniae (ADAC) quam Communitati Christianorum – num istud iam cognovimus? Si adhuc essem diurnarius activus – sed christianus cum sim eo magis – equidem vexarer muginans quid facerem die noctuque: quod nemo iam confideret professioni meae – fortasse nemo iam confideret mihi ipsi! Si ego essem parochus – desperarem! Nemo iam confidit! Ephemeris, c.t. ‚*Welt am Sonntag*‘, ante nonnullas septimanas publicavit relationem, cui magnis litteris superscripta erant ista verba, quibus declaravit quidam parochus – nescio utrum affectus sit superbiâ an perturbatione an sit merâ insaniâ affectus: ‚*Oportet paulatim assuefiamus, quod nemo iam nos petat rogandos.*‘ Sic dixit. Oportere, ut nos assuefiamus!? Quaerendum est hodie: Cuiam adhuc credamus? Cui adhuc licet confidere? Huic autem quaestioni subest altera: Num est ulla veritas? Nam denique de nullâ re agitur nisi de veritate! De nullâ re aliâ. Quem, audio – ei quoque oboedio. Et cui oboedio, quia a me auditur, ab eo possideor. A quo tu possidêris? Nonne haec est quaestio gravissima? Cuius verba tu sequeris? Verbum quod dirigitur ad me – ab ideologis, a philosophis, a Christianis, a televisionis relatoribus – a quocumque homine et ex quocumque loco. Verbum quod mihi allatum est, exspectat responsum.



QUID NUNC? IAMNE ADSUNT? --- NONNE IAM ABITURAE SUNT?

Sive affirmatur sive negatur, sive respondetur negligenter sive alio modo. Omnia sunt responsa ad aliquid postulatum, ad verbum, quod ad me dirigitur. Responso vocor ad responsalitatem. Hodie cui rationem reddimus, cui facimus nos responsales? Haec est quaestio fundamentalis: Cuius verbum sequimur? Quis et quid est veritas? Nam vitam meam – vitam pretiosam et unicam et singularem – nolo quidem dilapidare! Num obsequar aliquibus sententiis, sapientiis, moribus, spiritui saeculi? Ea quae mihi a Deo donantur in hac terrâ, nolo dilapidare! At ubi est haec veritas? Ante duo milia annorum in Israeliâ multi homines decreverunt: ‚*Nos audiamus quid dicat ille Iesus! De eo homines loquuntur in totâ Israeliâ!*‘ Quamquam illo tempore nullum existitit *televisorium* vel simile instrumentum. *Iste vir contendit se missum esse a Deo.*

Contendit se venisse a Deo! Iste contendit eum, a quo videatur, vidēre Deum! Iste contendit: ‚Ego sum via et veritas et vita. Ista est mera theoria coniurationis! Iste blaterat, facit verba lapsantia. In homiliis, in magnis congregationibus – multitudo hominum confluit – enuntiat nihil nisi permultas res fictas atque falsatas! Quonam modo iste vir contendit se esse viam et veritatem et vitam? Incredibile dictu! Iste auferatur! Fiat inquisitio! De isto viro nihil habemus faciendum.‘



At homines in dies curiosiores facti cogitaverunt: ‚*Istum rumorem persecuti perquiramus*‘. Et deinde aliquot milia – biblia numeros semper exactē indicat – quinque milia hominum confluerunt in septentrione Israeliae, in Galileam, ut Iesum audirent. Et deinde audiverunt ingentem istam provocationem: ‚*Ego sum via et veritas et vita.*‘ Et digito monstrat se ipsum. ‚*Sequimini me – relinquite vitam vestram priorem!*‘ Quanta postulatio! Quanta postulatio! Exclusiva! Postea quidam magnus dux ecclesiae – illo tempore, quo adhuc fuerunt duces ecclesiae! – **Paul Humburg** (1878-1945) - ‚*Aut esto totus ei (Christo) aut totus ei esse desinito!*‘¹



PAUL HUMBURG (1878-1945)


Aut totus aut omnino non – aliter non quadrat! Intellegitisne: Nuntius Iesu non est res, quae agatur a turturillis intellectualibus², quae nihil velint nisi aliquantulum audiunt evangelii suavisoni, aliquantulum sequuntur spiritûs temporis, aliquantulum captant benevolentiae coequalium, aliquantulum tendunt arcum caelestem - nequaquam, Iesus non alloquitur homunciones molliculos³! - A Iesu provocamur quoad intellectum et quoad modum vivendi! Iesus nobis nihil donat. Si Deus loquitur, finita est commoditas. Apud eum neque fiunt res semiperfectae neque compromissa. Fides christiana neque datur frustra neque sine labore. Non frustra fimus christifideles sed etiam non sine labore exanclando. Iesus autem stabat homiliam habens coram illis quinque milibus hominum – qui interim etiam esuriverunt. Nam ibidem non erat caupona *Macdonaldiana* aut similis, quales cauponae sunt hac in regione, quas vidi.

1 orig.: ‚*Sei ganz sein oder lass es ganz sein!*‘.

2 **turturilla**, -ae f. SEN. ep.96,5 i.q. homo molliculus. **turturilla intellectuālis**: orig.: ‚*intellektuelle Waschlappen*‘ -

3 **homunciōnēs molliculī** orig. ‚*intellektuelle Weicheier*‘.

Sed fuit parvus puer et 5 panes et duo pisces. Biblia numeros semper indicat exactê. Et Iesus id assecutus est, ut illos saturaret.



QUINQUE PANES, DUO PISCES

Iam praebita mihi sunt acetaria pomorum terrestrium, quaecumque alia. Sed ea nunc non sufficiunt omnibus, qui adsunt. At Iesus hoc assequitur: Qui curat etiam salutem nostram corporalem. Ne umquam hoc obliviscamini: Deus in rebus minimis est maximus. Qui neminem deserit. Ne esurientes quidem. At manet nuntius eius immutabilis. Deinde Iesus animadvertit quid fiat de hominibus. Iohannes autem hoc dicit in capitulo sexto, versu 60: „*Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?*“ - (67) *Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro: et iam non cum illo ambulabant.*“ - *Dixit ergo Iesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes, et nos credidimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei.*“ - En quantam vim dramaticam! His verbis Iesu additis duces populi decreverunt: „*Nunc finiendumst. Iste theoreticus conspirationis, iste praeco nuntiorum falsorum, iste blatero, ista proles fabri tignarii Nazareni – de medio tollatur!*“ - Omnia conversa sunt versus Hierosolymam. Versus iudicium – iudicium capitale! Sermonem Iesu audito decretum erat eius supplicium capitale. Manet Iesu fatum immutabile. *Golgatha* erat exspectanda.

Itaque scelus est duces ecclesiae uno tantum chiliometro lineae aereae a Golgathâ remoti in Monte Templi Hierosolymitano infitari crucem symbolum fidei Christianae gravissimum. Crux enim fuit res destinata. Decretum erat, ut Iesus crucifigeretur. Quid de discipulis Iesu – deque quinque milibus hominum, qui adfuerunt? - Multi se averterunt. Nulla iam fuit laus, nullum magnum *Halleluiah*. Non iam cantata sunt cantica pulchra et decora. Ne choralia quidem. Lento pectore! Nunc res in summo discrimine versatur! Utrum huic Iesu confidam an apoculo ego quoque? „*Durus est hic sermo!*“ Hoc significat – etiam in Graeco sermone σκληρός – sensu originali ‚non ferendus, non iam ferendus‘!



EPISCOPUS HENRICUS BEDFORD-STROHM (*1960) ET CARDINALIS REINHARDUS MARX (*1953)
 D.20. M.OCT. A.2016 HIEROSOLYMAE IN MONTE TEMPLI CONVENIUNT OMAR AWADALLAH KISWANI
 SACERDOTE M USLIMUM IDEOQUE CRUCES SUAS DEPOSUERUNT. DE HAC SYMBOLI FIDEI CHRISTIANAE
 OCCULTATIONE IGNAVA QUIDAM CHRISTIANI INDIGNATI SUNT RECORDANTES ILLUD COLLOQUIUM IESU ET PETRI:
 »QUO VADIS DOMINE?« - »EO ROMAM ITERUM CRUCIFIGI«

„Quonam modo istud audiamus diutius. Istud redolet fundamentalismum! Hic vir haec omnia interpretatur quasi sint dicta verbatim! Haec omnia: praecepta Dei, Testamentum vetustum – quisnam serio cogitat ita?“ - Et deinde venit contradictio – Iesus non remoratur in locis communibus. Non vult aliquantulum evangelii suavisoni. Non aliquantulum *animulae vagulae blandulae*. Iesus vult gravissimum! Qui contendit: *„Ego sum! Via et veritas et vita. Ego sum panis vitae. Ego sum lumen mundi. Ego sum aqua vitae. Ego sum bonus pastor. Omnia haec in eo uno inter se coniunguntur. Nos autem? Nos debemus esse cooperatores esse huius veritatis. Intellegisne, quid hoc valeat? Quanta nobilitas! Semel tantum Iesus id quod ad se ipsum refert, refert etiam ad christianos. „Ego sum lux mundi et vos estis lux mundi!“*


-



EGO SUM VIA ET VERITAS ET VITA.

Nos sumus cooperatores veritatis! Hoc oportet semper intellegatis: Furat mundus! Conventus paroeciales mittant *Stasianos* – ut observent, num nos hîc nihil falsi faciamus. Veniant protectores constitutionis rei publicae! Similes magistratûs nonne apud Iesum etiam venerunt? Nos sumus cooperatores veritatis. Et dico vobis: Haec res non est ambulatio in collibus apricis. Haec via est salebrosa, hoc iter est laboriosum. Et nunc Iesus stat in multitudine hominum discedentium. Intellegitisne? Oportet hoc intelligatis: fingite hoc mentibus vestris. Quinque milia hominum, qui iubilaverunt, qui cibati sunt – panibus piscibusque – omnes saturati sunt – et subito tota multitudo dissolvitur. Et nunc Iesus stat ante duodecim homines relictos. Quid

nunc fuisset res solita et exspectabilis? Quid faceret politicus? Philosophus? Quid faceret praeses rei publicae, aut quivis alius? - ‚Heus homines, manete! Manete saltim vos! Perferte et obdurate!‘ -




ECCE IMAGINES CINEMATIS, C.T. „**DER UNTERGANG**“ (INTERITUS), A.MMIV A SCAENOTHETA **OLIVARIO HIRSCHBIEGEL** CONFECTUM. QUO CINEMATE MONSTRANTUR ULTIMI DIEI TERTII IMPERII. A SINISTRIS **ULRICUS MATTHES** (*1959) PERSONAM MINISTRI PROPAGANDAE GERENS, IN MEDIO ET A DEXTRIS **BRUNO GANZ** (1941-2019) HELVETIUS HISTRIO EXCELLENTISSIMUS PERSONAM GERENS DUCIS GERMANIAE OMNIUM UMQUAM NOCENTISSIMI.

Est illa scaena cinematis – de qua saepe collocutus sum cum *Brunone Ganz*, qui personam gessit praecipuam: ‚INTERITUS‘: *Hitler*, Dux, Decem dies ultimi necnon *Iosephus Göbbels*, qui – ultimum – suo more orationem habendi – dicit: *Perferte! Ventura est victoria finalis! Habemus enim telum illud mirificum, rucheta V 2, haec veniet!!!* At deinde subito sermonem suum abruptit – mira est haec scaena et dignissima visu – et dicit: ‚*Domini mei! Novistis, qualis sit status rerum. Spem concepimus de viro falso. Res nostra est finita.*‘ - Talis fuit etiam status rerum ibi Hierosolymae ante duo milia annorum. - ‚*Nosne spem concepimus de viro apto? Nonne videmus omnes nunc aufugere?* At Iesus non petit, non rogat, non pugnat, ut homines remaneant – intelligitisne – eundem dicere potuisse: ‚*Carissimi – saltim vos manete! Accipietis compensationem inflationis monetalis, accipietis pretium gasi limitatum, accipietis pecuniam civicam, accipietis redituum augmentum!*‘ - posset enumerare concessionem atque donationem – at Iesus hoc non facit! - **Ulricus Hauk** modo monuit illius festi Basileensis, ubi laudator, philosophus **Professor Seubert**, dicit: ‚*Nuper vidi Petrum Hahne, in colloquio televisifico, quod appellatur „Riverboat“, ubi interrogatus est, cur christianus esset. Et deinde idem respondit: „Quia sum intelligens“.* Et in recessu vocavit **Heinz Rennhack** (*1937), unus ex illius DDR histrionibus maximis: ‚*Sophos!*‘ – Talia iterum iterumque expertus leniter horreo. Dixi: ‚*Scitisne resurrectionem Iesu Christi esse rem historiae mundi omnium certissimam – ab historicis clare confirmatam?* Omnis historicus dicit: ‚*Ita est!*‘ Deinde quaedam histrionissa, quom vos omnes nostis seriebus televisificis, quibus tituli sunt ‚*Medicus montanus*‘ et ‚*Clinicum Saxonum*‘: ‚*Parochus noster dixit has res in bibliâ descriptas non esse sensu verborum stricto intellegendas.*‘ Id quod mihi memoratu dignum esse videtur: Auditores me admirati sunt! Dixerunt obstupefacti: ‚*Qui fit, ut hic vir talia dicat tam simpliciter – sine ullâ condicione – sine ullâ limitatione!*‘



ECCE PROF.DR. HARALDUS SEUBERT (*1967) LAUDATOR PETRI HAHN (*1952),
 QUI BASILEAE IN UNIVERSITATE THEOLOGICA HONORIS CAUSA AD GRADUM DOCTORIS PROMOTUS EST.
<https://www.youtube.com/watch?v=YDJ7uU-YajE>

Iesus nunc non magna promittit – ut saltem ultimi duodecim homines maneant apud se. Sed dicit magnâ cum confidentiâ sui: *„Numquid et vos vultis abire?“* Si quis ex me quaerit – recordor diurnariam ephemeridis *Hör Zu* – hoc factum est ante 50 annos, Saraviponti - *„Heus Domine Hahne, omnia sunt optima, quae facis in emissione tuâ radiophonica, ad microphonum, et quae omnia invenisti - sed – verumne es christianus?“* Similiter semper loquebantur: *„Vix credibile! Tu es tam laetus, tam hilaris, tam lepidus, neque es stultus – sed diceris esse etiam christianus!“* *„Primo: Ego sum christianus, quia intelligens sum, et secundo, quia haec scaena inest Novo Testamento.“* Cari amici, intellegite, quid hoc valeat! Habemus Dominum, qui tantâ est confidentiâ sui, ut sibi non temperet, ne ultimos fuget! Cui nullo modo necessarium est cauponari et praeconari! Qui ex veritate venit, ei hoc non est necessarium. Etiam nobis non est! Si enim hîc duo tantum homines sedissent hodie bene mâne – in hîc oeco magno et pleno – et illi multi, qui nos audiunt per *Radiophoniam Contrariam* („Kontrafunk“): Cari amici, etsi unus tantum adesset – aut quinque tantum – veritas non pendet ex maioritatibus. Quis est tantâ confidentiâ sui? Affer mihi nomen ullius rectoris civitatis – ullius functionarii ecclesiastici aut ullius alîus – qui diceret: *„Numquid et vos vultis abire?“* At Iesus est tantâ confidentiâ sui. Deinde aliquis incipit loqui. Scilicet nemo nisi Petrus incipit loqui. Parentes mei etsi nescientes mihi dederunt praenomen Petri. Legatis, quaeso, in *Retificio Bibliae et Cognitionis* aut in situ interretiali *Unionis Communitatis Adiuvandae*, orationem quam habui Basileae. Ibi dixi me non egere titulo doctoris, me nullo prorsus titulo egere. Me habere nomen huius mundi pulcherrimum – mihi ipsi est integra ecclesia constructa! Nam Ecclesia *„Sancti Petri in Galli Cantu“* Hierosolymitana. Omnes iter philotheoricum in Israeliam faciendum fit per hunc locum. Quae ecclesia est in ipso illo loco historico, quo Petrus Iesum prodidit et ubi gallus ter cecinit. *„Petrus In Galli Cantu“* est ergo *„Ecclesia in cantu Petri Hahne“*. (*Rident auditores*). Ita est: tantâ sumus magnificentiâ hodie.



ECCLESIA SANCTI PETRI IN GALLI CANTU

Ergo ego facio id, quod **Ludovicus Hofacker** (1798 – 1828, *parochus evangelicus*), magnus praedicator Suebiae, qui dixit: **Nos debemus clamorem êdere pro Iesu.**



LUDOVICUS HOFACKER (1798-1828)

Intellegatis quaeso: Pistor hoc facit sub specie pistoris, ingeniarius sub specie ingeniarii, et *Petrus Hahne* sub specie suae professionis. At gravissimum est clamorem êdere pro Iesu. Qui non praeconatur perferendum esse et obdurandum et denique fore, ut pariat victoria finalis. Iesus est tantâ confidentiâ sui, ut quaerat: **„Numquid et vos vultis abire?“** et Petrus respondet: **„Domine, ad quem ibimus?“** - En spectate multitudinem hodiernam factionum et gregum socialium et sententiarum – totam istam insaniam, quâ supervolvimur tamquam labinâ nivali – etiam *genderismo* et remediis coronariis – infantes dicuntur esse vaccinandi sex menses nati – ab omnibus supervolvimur. Ista est oblatio mundi. Quaerendum est: Cui possumus confidere? Viventes et morientes? Ubi est veritas? Petrus dicit: **„Ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes.** Hoc valet: *„Tu es responsum ad quaestiones vitae gravissimas – sensus, culpae, mortis.* Mors in nostrâ societate non iam fit. Hodie quinque iam homines in deversorio mihi narraverunt se esse morbo coronae affectos. Itaque dico: *„Audi quid dicam: Nunc est tempus influentiae. Et his annis in mensibus Octobri – Novembri – Decembri duodetricena millena hominum sunt mortua.* Num nobis non iam est ius moriendi? Estne sôla valetudo res omnium maximê petenda? Istud non iam audire possum! **„Res gravissima: Sit tibi valetudo prosperrima!“** - At haec non est res omnium gravissima! Possum valere et tamen aegrotare! Intellegisne? Vado per nosocomii stationem intensivam – in Saraviâ hoc iterum est thema magnum.



Nosocomia non iam habent cooperatores. Nemo iam vult hoc facere. Medici aufugiunt: in Canadam, in Helvetiam! O quanta miseria! Nos habemus ideologiam: Valetudo est res gravissima. Quae non est gravissima omnium, cari amici. Pulchrum est, si Deus nobis donat valetudinem. Quam bonum est, quod habemus medicos – investigatores medicinales – omnia haec sunt optima! - Grato animo hoc dico. Sed hoc non est gravissimum. Quid est gravissimum? Quod ego cognosco, qui sit sensus vitae meae, ut tandem finiantur noctes insomnes. Quod culpa ista gravissima, quam ego, **Petrus Hahne**, contraxi, mihi dimittatur, ne umquam timeam mortem. Hoc narrabo hodie post meridiem: Fingite animis, quot politici superiores mihi – aut privatim aut coram publico – dixerint: **Domine Hahne, ex quo Iesum nôvi, non iam timeo.** - Fingite animis futurum fuisse, ut tota nostra societas, primores societatis dicant: **Domine, tu habes verba vitae aeternae, et ex quo ea nôvi, non iam timeo.** - Fortasse, si ita esset, experiremur paradisum terrestrem. Opera nobis danda est, quia Iesus non est blanditor. Non dat nobis aliquantulum mellis ad animulam vagulam blandulam permulcendam, sed ex nobis firmissimê quaerit: **Numquid et vos vultis abire?** Et cogit nos, ut respondeamus. Quaerendum est: Respondeamus isti postulationi? Iesus nequaquam est automatatum monetivorum et adiuva optata nostra explendi. Nequaquam Iesus est aliquantulum thuris sollemnitatum nostrarum familiarium et nuptiarum et baptismatum et funerum – quotcumque aliarum rerum. Nequaquam Iesus est aliquantulum moralitatis burgensis. Experimur enim hodie Iesum redigi ad praecepta, quae sunt horrenda. Cum ego iuvenis essem, in Vestfaliâ dicebatur: *Christianus si es, tibi neque licet saltare neque fumificare neque vinum bibere.* Haec erat aliquatenus lex quae valebat. Hodie Christiano praecipitur: *Tibi non licet officinas nucleares comprobare, Tu debes sine ulla condicione arma comparare* (ista quidem est nova ideologia – nonne? Ante duos menses nemo credit talia fieri posse) - i.e., experimur lêges horrendas. At Iesus non est legalis. Iesus non est legibus obnoxius ideoque summâ confidentiâ sui. Et dicit: *Hîc est verbum meum. Quod potestis legere. Verbum meum vivum – praecepta mea vivendi. Vultisne hoc habere an non?* - En quantam habet confidentiam sui! Itaque dico et multis auditoribus nostris radiophonicis et auditoribus hîc sedentibus *Retificii Bibliae et*

Confessionis Palatini: Amor Iesu et amor bibliae sunt duae facies eiusdem monetae. Fides Iesu et fides bibliae sunt duae facies eiusdem monetae. Nolite sinere vobis insusurrare – a nemine! - haec esse duo paria calceorum inter se diversa! – Scilicet Iesum esse inclusivum! Immo Iesus est magis inclusivus, quam ut repellat pestem et choleram – meretrices atque telonarios. Nos hodie homines repellimus, qui non participant totam istam rem coronariam. Qui aliam sententiam habent, scientistas, qui nobis non iam placent, diurnarios, qui nobis non iam placent. De hac re hodie post meridiem loquemur: Iesus est inclusivus. Omni licet venire. Et id quod est mucro huius narrationis: Mihi licet venire, qualis sum, ne maneam talis, qualis sum. Haec est clavis, quâ omnia aperiamus. Venio qualis sum: oneratus culpâ meâ, miserîâ meâ, toto peccato vitae meae, difficultate viam inveniendi, inopiâ auxilii meâ. Me non iam scire, quid faciam. Sed mihi licet venire talis qualis sum. Ne maneam talis qualis sum. Iesum scire, quomodo me mutet. Ita est, Iesus tolerat nobiscum esse, etsi nos non iam toleramus vitam nostram. Qui Iesu confidit, numquam deseretur. Qui se appendit ei, qui pendet e cruce, is numquam laqueo pendeat. Unus ex maximis cogitatoribus linguae theodiscae, maximus fortasse philosophus omnium aetatum, **Immanuel Kant**, vitâ suâ exeunte dixit: ‚*In vitâ meâ multos libros lêgi prudentes et bonos. At in iisdem omnibus nihil invêni, quo animus meus tam tranquillus et hilaris fieret quam his quattuor verbis Psalmi vicesimi tertii: ‚TU ES APUD ME.‘* Plura non exstant, cari amici, sed paucioribus ne simus contenti. **Verum enim vero, sine Deo imus in tenebras. At cum eo imus in lumen.** ---



IMMANUEL KANT (1724-1804)

In grapheo meo in statione televisificâ ZDF, ubi moderabar emissioni Diurnarii, c.t. ‚*Heute-Journal*‘, per annos cottidie in hortum, directê in hortum inspectabam **Manfredi Siebald**, qui hoc canticum scripsit, cui omnia insunt, quae etiam Petrus nobis dicere voluit: ‚**Domine, ad quem ibimus?**‘ Inest cognitio, quâ scimus sine Deo nos ire in tenebras. Necnon mirabilis promissio: **At cum Deo imus in lumen. AMEN.**

- Et nunc unâ cantemus hoc canticum pulcherrimum, quod programma nobis est et hodie omni horâ propius fit realitati. Nos enim nunc experimur manifestum id quod sine Deo nos imus in tenebras. Cogitate hoc esse **discrimen energiae** alterius generis. Sine Deo si sumus, licet irradiemur lumine diurno, magnis luminaribus: tamen

remanebimus in tenebris. Luciditas non est nisi putativa, non vera. At considerate etiam alteram rem: Nos nunc stamus in loco decisivo historiae nostrae.



MANFRED SIEBALD (*1948)
angloamericanista et cantor christianus

Nunc subito non solum sumus in tenebris spiritualibus et idealibus. Nunc sunt etiam physicae tenebrae obscurissimae. Sunt homines hinc sedentes, qui nesciant, num hiemem perlaturi sint. Cum negotiatione sua et professione et familia. ***Tenebrae sunt sine Deo.*** Sed nobis licet laetè cantare: ***Cum eo imus in lumen.*** ---

<https://www.youtube.com/watch?v=0PO-gcIC7FE> Es geht ohne Gott in die Dunkelheit
https://www.youtube.com/watch?v=_4_BT35M8cw

SI PENTECOSTE EST ECCLESIAE NATALE – ESTNE CORONA EIUS MORS?

Scriptis *Peter Hahne*, Latinê reddidit *Leo Latinus*

Die Dominicâ, d.31. m.Maii a.2020

Ecclesia Spiritûs Sancti expers neque iam habet solacium neque est sanae mentis². Nam Spiritus ille, qui Die Pentecostali vênit super homines, est merum solacium ipsum. Ergo non est mirandum, quod hodie neque solacium invenimus in re politicâ neque in ecclesiâ neque in societate.



EDEKA ponitur loco ipsius EKD!¹ Sufficiunt haec verba describenti mihi, quam triste hôc anno sit „Laetum Festum Pentecostale“. EKD, Ecclesia Germaniae Evangelica ipsâ Die Ecclesiae Natali (qualis fuit Pentecoste ante duo milia annorum) milionibus Germanorum egestate eruditionis

² originaliter: „Kirche ohne Heiligen Geist ist nicht mehr ganz bei Trost.“ Locutio, q.e. „nicht mehr ganz bei Trost (solacium) sein“ valet i.q. non iam sanae mentis esse, insanire, delirare, mente captum esse.

¹ EDEKA (= “Einkaufsgenossenschaft der Kolonialwarenhändler”) est permagna negotiatio victualium, quae totâ in Germaniâ possidet multos supermercatûs. - EKD = „Evangelische Kirche in Deutschland“, i.e. Ecclesia Evangelico-Lutherana Germaniensis.

vexatorum non explicat, quidnam hi dies festi valeant – nequaquam! – sed eadem Ecclesia magnâ cum pompâ publicat libellum manuum, quo explicatur, *qualis sit sermo sexibus iustus*. Isti ecclesiastici nondum intellexerunt post errores coronarios omnino alias res sibi tractandas esse ac ideologias *gen(d)erismi* aut *climatomaniae Gretariae*.

At EDEKA negotiatio victualium emptoribus suis explicat, quidnam valeat hoc festum. Praeter illos cibos, quos commendat loco *bovis pentecostalis* (qui non est *expers facultatis alternativae*) et ad ientaculum pentecostale quam aptissimê praeparandum.



Ita vero, EDEKA negotiatio victualium – si credimus eius commendationem commercialem - non solum diligit victualia, eadem catena supermercatuum scit etiam, quid sit instrumentum vivendi et quomodo idem commendetur. Quod non est merx reicula vilissimê vendenda, sed cibus delicatissimus ad vitam servandam necessarius, qui quamvis Christiani paterentur persecutionem gravissimam, mundum circumcursavit victoriosissimê: Evangelium, inquam, Nuntius Bonus, Nuntius Salutaris. Operae pretium est bibliam vetustam domi depositam denuo sumere et legere priora capitula Actorum Apostolorum Novi Testamenti. Quicumque aliquatenus saltem scire vult, quis et quid cultum civilem Terrae Occidentalis et disciplinam moralem et eruditionem necnon iura nostra humana praeformaverit et excoluerit, is haec capitula praeterire non poterit.

Ah, quid dicam de Terrâ Occidentali! Secundum *Marxium* (non loquor de illo *Carolo*, sed de hōc *Reinhardo*, i.e. de cardinali) haec notio, quia homines excludit segregatve, est recusanda. Tempore mensis *ramadan* ecclesia nostra moderna mavult laudare, quod *islam* nunc est in

Germaniâ (quasi insania illa *Wulffiana* effectu ipsius morbi coronae denuo cerebris esset implantata). Oh quanta ista est irrisio milionum Christianorum qui in dictaturis islamicis perpassi sunt persecutionem et saevissimê sunt interfecti – unâ cum pastoribus et cardinalibus. Istaec omnia sunt damna collateralia „religionis pacis“, qualis seductoriê libenter appellari solet a ducibus ecclesiae. Qui aut nesciunt rem aut sunt stultiores quam ut intelligant.



Missa sacra est necessitas fundamentalis: Aperite ecclesias!

At nunc advenimus ad rem gravissimam, quâ appareat quid valeat ecclesia tempore pentecostali. Deus scilicet phrontisteria hominum variis instruxit suppellectilibus. Nonnulli potius praeferunt suppellectiles modestas. Magistratum religionis christianae status eruditorius est mirê egenus. Tantum stultitiae, quantum invenitur in ecclesiae hodiernae declarationibus officialibus et libellis manualibus, neque umquam inventum est in oppido *Abderae* neque *Schildae* neque in capite bovis pentecostalis – quo considerando revertimur ad Pentecosten et bovem EDEKAE. Obiter adnotem: Eruditione homines hodierni videntur potius molestari quam delectari. E.g. de histologio¹, c.t. *Tichys Einblick*, homines diiudicant, qui

1 ***histologion**, -ī n. *blog* (= *web-log*). cfr nomen neograecum. cfr ***histologista**, -ae m. *blogger*.

ne ullo sunt tirocinio absoluto, sed decernunt, quid liceat divulgari in *Prosopobiblio*¹ et quid non.

In ecclesiâ quoque baburri scioli se omnia scire contendunt et consulere volunt et diiudicare, quasi sint omnium rerum peritissimi. Itaque non est mirandum, quod *Greta* nunc facta est virologa et invitatur ad fora viralia. Ecce sancta simplicitas apparens Die Trinitatis Memoriali! Necnon memento summae stultitiae tamquam morbo coronae cerebri effectae: delegatio episcoporum germanica a.2016 Hierosolymis mesquitam in Monte Templi sitam visura deposuit crucem sui officialem. Quod fecit 500 metris iuxta Golgatham, ubi steterat crux historica.

Scilicet fieri non posse, ut principes ecclesiae explicent milionibus christianorum aliquid, quod ipsi non (iam) credunt. Nam ii, quibus historia biblica nativitatis Iesu Christi videtur esse pia fabula legenda, resurrectio et ascensio Christi fabella puerilis et Spiritus Sanctus nihil nisi *inflammatio animi sacra* (summâ ebrietate effecta, ut critici iam ante duo milia annorum sunt opinati!) - iidem quidnam habent causae, quâ populum doceant, quid valeant Natale Domini et Festum Paschale et Ascensio Domini et Pentecoste? Heus cari amici vectigalium ecclesiae cultorum, olim (!) saturorum, ita est: „*Sine Deo imus in tenebras, sed cum Deo in lucem!*”, ut ait *Prof. Manfredus Siebald* americanista Mogontiacensis.

Episcopi nostri, qui partim a re publicâ accipiunt mercedem, saepe (praesertim evangelico-lutherani) habent libros factionis socialisticae (SPD) *quiescentes*. At quid valet *quiescentes*? Illi male abutuntur muneribus suis et ambonibus, ut magnâ cum ostentatione diffundant cogitationes prasino-russatissimas factionis fragmentatae. At si ab ipsâ factione facti essent candidati, ne electi quidem essent. Praesertim episcopi non electi essent in Bavariâ, ubi insania eorum politica strepat maximê. Isti si essent factionis functionarii, pro palatio episcopali frequentarent officium operarium et veherentur modico curru transviario pro autocineti lautissimo atque sumptuosissimo.

Dogma mortiferum

In crisi coronariâ gubernatio et media diurnaria ludendo amittunt civium confidentiam

¹ *Prosopobibliion*, -ī n. Facebook.

Si Pentecoste est ecclesiae dies natalis, estne vîrus coronae eius mors? Communitati christiana valet verbum Iesu Christi, quod servatum est per saecula persecutionis coram historiâ mundanâ: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam et portae inferi non praevalent adversum eam (MATTH.16,18)*. Nemo hanc fidem usque nunc extrinsecus potuit destruere, sed eadem nunc intrinsecus destruitur ab organisatione, quae appellatur ecclesia. Ecclesia enim postquam ipsa se fecit saecularem, nunc se facit marginalem. Quânam re evidentius demonstratur ecclesia se ipsam *nanificare*, id est nanam se facere nisi isto modo, quo eadem se gessit his septimanis ipsius crisis quae dicitur coronariae (quae reverâ est crisis dominantium pandemiam parum recte tractantium)? Cum nonnullae paroeciae et parochi et aliquot milia fidelium sine salario honoris causâ operantium studerent laboriosissimè, ut evangelium ad homines afferrent remedium animarum fractarum et solitudinis et insulationis, ecclesiae praepositi functionarii censuram historicorum non superabunt.

Qui a primo die temporis coronarii debuerunt dicere: Nos systemati tanti valemus quam nosocomi et siphonarii, nos accipiemus probam valetudinis et vestimenta tutoria ad *parochos coronarios* aptos (cum curatoribus animarum militiae et necessitatis comparandos) et ibimus in gerontocomia. At pro eo, ut haec facerent, praepositi ecclesiae „*ecclesias concluserunt*“ (FAZ), „*auctoritatem amiserunt*“ (SZ), ut „*nihil iam valerent*“ (WELT). Ecclesiae praepositi hodie videntur malle navem profugorum baptizare in portu quam infantulum in ecclesiâ. Iidem homines morientes reliquerunt solacii expertes et curâ animarum neglectâ praebuerunt frivola spectacula interretialia. Quasi paucis verbis tritis atque lapsantibus sub podio factis omnia fierent bona.

At nihil est bonum! Eo quod praepositi ecclesiae (non paroeciarum!) vera officia sua neglexerunt, innumeri homines desperaverunt. Interim accepi plus ducentas quinquaginta epistulas, quibus narrantur res tristissimae, quas lêgi animo commotissimo. Ubinam nunc sunt ecclesiae, si agitur de „*heroibus crisis coronariae*“? De his auditur ne ulla quidem syllaba ex ecclesiasticorum oribus emissa. Quasi tales non exstent. In multis illis cancellariae conferentiis diurnariis ecclesiastici non apparuerunt nisi vocati erant expressis verbis. Quasi evanuisent ex orbe

terrarum! Talia numquam facta essent sub episcopis, quales fuerunt *Volfgangus Huber* et *Iohannes Dyba*. Numquam!

Non egeo aliquâ ecclesiâ, quae mihi praescribat, quomodo purgamenta mea tractem et quomodo consumam fluentum electricum. Quidnam cogitare debeam de profugis et connubio homosexuali et ideologiâ generismi, et num *Greta* sit „nova Sancta“. Non egeo ecclesiâ, quae mihi explicet, quanta sint vectigalia divitibus imponenda et praescribat, quid faciam de islamo. Equidem exspecto ecclesiam denuo maximam vim attributuram esse foundationi ecclesiae et mandato divino: Spiritu Pentecostali magnus factus est Iesus Christus, nec ullâ re aliâ.

Qui Spiritus fuit spiritus veritatis. At nunc advenimus ad thema aliud, ad numeros Domini *Drosten*, virologi in aulâ Merkelianâ versantis, qui invitatur hospes emissionum televisionis aulicae celebratissimus. Quos numeros praepositi ecclesiae dominantibus se venditantes sine ullâ conditione, sanae mentis expertes secuti sunt tamquam caeci. Quamquam veritate solent oculi aperiri. At ecclesia Spiritûs Sancti expers neque iam habet solacium neque est sanae mentis. Nam ille Spiritus, qui Die Pentecostali vênit super homines, est solacium ipsissimum. Itaque non mirum est, quod expertes sunt solacii res politica et ecclesia et societas. Itaque in Festum Pentecostes liceat equidem modestê vobis suadeam: Nolite commoveri a vîro covidiano 19 (undevicesimo), sed solacium accipite a Psalmo 91 (nonagesimo primo).

**PETRI HAHNE
PHILIPPICAM
PENTECOSTALEM
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

Vincent van Gogh

* 30. März 1853 in Groot-Zundert

† 29. Juli 1890 in Auvers-sur-Oise



TRIGINTA QVATTVOR LVSTRIS ANTE
III KAL. APRILES NATVS
VINCENTIVS VAN GOGH
PICTOR OPTIMVS

SEPTIES VNDEVIGINTI ANNIS ANTE
VITA CESSIT

MMXXIII

Am 30. März vor 170 Jahren
wurde der großartige Maler VINCENT VAN GOGH geboren.
Vor 133 Jahren starb van Gogh.

Pablo Picasso

* 25. Oktober 1881 in Málaga, Spanien

† 8. April 1973 in Mougins, Frankreich

PAVLVS PICASSO
 VIR HISPANVS
 ARTIFEX MVLTIPLEX
 QVINQVAGINTA ANNIS ANTE
 IN FRANCIA E VITA DISCESSIT

* * *

PAVLVS PICASSO
 ARTIFEX VENERABILIS
 DECIMLVSTRIS ANTE
 EX VITA EGRESSVS
 AETATIS SVAE XCI

* * *

PAVLVS PICASSO
 PICTOR PRAECLARVS
 SCVLPTOR EGREGIVS
 ATQVE CERAMISTA NOTVS
 QVINQVAGINTA ANNIS ANTE
 IN FRANCIA VITA CESSIT
 AETATIS XCI

* * *

PAVLVS PICASSO
 PICTOR EXCELLENS ATQVE SCVLPTOR
 QVINQVAGINTA ANNIS ANTE
 VI IDVS APRILIS
 IN FRANCIA DECESSIT
 AETATIS XCI

* * *

PAVLVS PICASSO
 INGENIOSVS PICTOR GRAPHICES AC SCVLPTOR
 BIS VIGINTI QVINQVE ANNIS ANTE
 DIE OCTAVO APRILIS
 VITA DECESSIT
 AETATIS XCI

MMXXIII

Der Spanier PABLO PICASSO war ein vielseitiger Künstler.
 Vor 50 Jahren starb er in Frankreich.

* * *

Vor 50 Jahren starb der ehrwürdige Künstler
 PABLO PICASSO im Alter von 91 Jahren.

* * *

Vor 50 Jahren starb in Frankreich PABLO PICASSO.
 Der berühmte Maler, hervorragende Bildhauer und bekannte Keramiker
 wurde 91 Jahre alt.

* * *

Am 8. April vor 50 Jahren starb in Paris der exzellente Maler und Bildhauer
 PABLO PICASSO im Alter von 91 Jahren.

* * *

Am 8. April vor 50 Jahren starb der geniale Maler, Grafiker und Bildhauer
PABLO PICASSO im Alter von 91 Jahren.

Joschka Fischer

* 12. April 1948 in Gerabronn

Joschka Fischer ist ein ehemaliger deutscher Politiker (Bündnis 90/Die Grünen). Er war von 1998 bis 2005 Außenminister und Vizekanzler der Bundesrepublik Deutschland. Ein knappes Jahr nach der Bundestagswahl 2005 zog sich Fischer aus der aktiven Politik zurück. Seit dem Ende seiner politischen Karriere ist er als Berater, Publizist, Buchautor und Lobbyist tätig.



IOSEPHVS PISCATOR ALIAS IOSCHKA FISCHER
 CELEBER VIR PVBLICVS OTIANS
 TER VIGINTI QVINQVE ANNIS ANTE
 PRIDIE IDVS APRILES NATVS
 VIVAT CRESCAT FLOREAT

MMXXIII

Der bekannte Politiker JOSCHKA FISCHER,
 der sich von der aktiven Politik zurückgezogen hat,
 feiert am 12. April seinen 75. Geburtstag.

Herzlichen Glückwunsch.

Garri Kasparow

* 13. April 1963 als Garik Weinstein in Baku

Kasparow erklärte im August 2015: „Solange Putin im Kreml ist, gibt es keine Chancen für den Frieden, denn der Frieden bedeutet für Putin das Ende seiner Macht.“

SE **X**AG**I**NTA ANN**I**S ANTE
 ID**I**B**V**S APR**I**L**I**B**V**S NAT**V**S
 GARR**I** KASPARO**V**
 S **C**A**C**COR**V**M LV**S**OR E**X****S**V**P**ERANS
 V**I**VAT ET F**L**OREAT

MMXXIII

Am 13. April vor 60 Jahren
 wurde der überragende Schachspieler GARRI KASPAROW geboren.

Herzlichen Glückwunsch zum Geburtstag.

Garri Kasparow ist ein sowjetischer bzw. russischer Schachweltmeister und Schachbuchautor armenischer und jüdischer Abstammung.

Kasparow war von 1985 bis 1993 offizieller Weltmeister des Weltschachbundes FIDE. Nachdem er sich 1993 von dieser Organisation im Streit getrennt hatte, blieb er noch bis 2000 der vom Großteil der Schachwelt anerkannte Träger dieses Titels. Am 10. März 2005 beendete Kasparow, an der Spitze der Weltrangliste stehend, offiziell seine professionelle Schachkarriere. Er gilt als einer der stärksten Spieler der Schachgeschichte.

Kasparows Spielstärke ist in der Schachgeschichte herausragend. Kasparows im Jahr 1999 erreichte Elo-Zahl 2851 wurde erst im Dezember 2012 von Magnus Carlsen übertroffen, obwohl die Werte in der Weltspitze fortschreitend anstiegen (Elo-Inflation). Auch in Ranglisten rückwirkend berechneter historischer Elo-Zahlen stand Kasparow meist an erster Stelle, manchmal an zweiter hinter Bobby Fischer, dem Weltmeister von 1972 bis 1975.

Kasparows Schachstil ist dynamisch und aggressiv – hierin ähnelt er seinem schachlichen Vorbild Alexander Aljechin, dem Weltmeister von 1927 bis 1935 und von 1937 bis 1946. Aufgrund seines angriffslustigen Schachstils und seines aufbrausenden Temperaments wurde Kasparow in der Schachwelt unter anderem als das „Biest von Baku“ bezeichnet.

Auch für seine hervorragende Vorbereitung auf Zweikämpfe war Kasparow bekannt – hier ähnelte er seinem zweiten Vorbild Michail Botwinnik, dem Weltmeister von 1948 bis 1957, von 1958 bis 1960 und von 1961 bis 1963.

Quelle: Wikipedia

**HAEC CHRONOGRAMMATA
ARTIFICIOSE CONFECIT
TOBIAS RÖSSLER**

CHRESTOMATHIA PHILIPPI NEOLATINA

Praefatio theodisca originalis et eius versio Latina nonnullique textûs excerpti

PHILIPPI, Ferdinand: Die Latinität der Neuern von dem Wiederaufleben der Wissenschaften bis auf unsere Zeiten. Ein Hilfsbuch für den Unterricht im lateinischen Styl und für Bildung des Geschmacks, zum Schul- und Selbstgebrauch herausgegeben von Dr. Ferdinand Philippi. Grossherzoglicher Sächsischer Hofrath, Leipzig 1825.

i.e. Latinê:

PHILIPPI, Ferdinandus: Latinitas auctorum recentiorum qui scripserunt a Renascentiâ Litterarum usque ad aetatem nostram. Liber adiutorius elocutionis Latinae et saporis erudiendi, ad usum scholae aut tironis ipsius, editus a Doctore Ferdinando Philippi, Consiliario Saxoniae Archiducali, Lipsiae a.MCCMXXV.

PRAEFATIO FERDINANDI PHILIPPI ORIGINALIS	VERSIO LEO LATINI
- III -	- III -
V o r w o r t	P r a e f a t i o
Hoffentlich nicht unerwünscht schliesst sich diese Blütenlese n e u l a t e i n i s c h e r Prosaisten der Sammlung von Ausgaben altlateinischer Classiker an, welche die um philologische Literatur so wohl verdiente Verlagshandlung dieses Werks, noch immer unermüdet zu vervollkommen und zu vervollständigen fortfährt; denn wie unerlässlich es auch jederzeit für gründliche Sprach- und Alterthumsforschung bleibt, unmittelbar aus den unversiegbaren Quellen aller geistigen Bildung zu schöpfen, die am reinsten in dem classischen Gebiete jener Schriftsteller rinnen, welche als Zeitgenossen zu ihrem Volke geredet und ihm Lehrer und Bildner gewesen sind: immer wird es Bedürfnis bleiben, in einem Zeitalter, wo die Gelehrten aller Zonen sich über ferne Meere zu wissenschaftlichen Bestrebungen die Hand reichen, die todte Sprache des untergegangenen Roms auch als l e b e n d e Universalsprache in der zerstreuten Gemeinde der Wissenschaftsfreunde beizubehalten, und dem gemäss auch den Unterricht in derselben zu behandeln. Wie aber soll diess geschehen können, wenn philologischer Absolutismus Alles, was nicht in den Canon seiner Classiker gehört, für sprachliches Studium verwerflich, und für wissenschaftliche Forschung unfruchtbar finden will?	Spero hoc florilegium n e o l a t i n o r u m auctorum prosaicorum haud inoptatum annexum iri collectaneis auctorum antiquae Latinitatis classicorum antea editis, quae domus huius operis editrix de litteris philologis optimê merita indefessê consummare et perficere non desinit; nam <i>quamquam</i> ad linguam Latinam atque antiquitatem Romanam subtiliter investigandas semper necessarium manebit, ut directê hauriamus ex purissimis fontibus omnis eruditionis perennibus in regione classicâ illorum auctorum scaturientibus, qui coaequales locuti sunt coram populo suo eiusque fuerunt magistri atque eruditores: tamen aetate, quâ homines docti omnium zonarum super maria longinqua communicant investigationes scientificas, etiam semper manebit indigentia, quâ amici scientiarum sodalitatis participes dispersi linguam Imperii Romani dilapsi ita adhibere pergunt, ut sit sibi sermo universalis v i v e n s ideoque etiam in scholâ secundum hanc rationem instituat ur. At quonam modo hoc fieri potest, si philologi cuidam absolutismo dediti contendunt omnia, quae non insunt canoni classicorum, studiis grammaticis nocere, nulloque modo utilia esse ad investigationem philologam promovendam?

- IV -	- IV -
<p>Die Alten, diese ewigen Muster alles Erhabnen und Schönen, haben ja noch nicht Allen Alles seyn können; gar manches Fruchtfeld menschlicher Erkenntniss ist von ihnen ungepflügt gelassen, oder doch nur dürrtig angebaut worden, und im Laufe der Jahrhunderte, die zwischen den goldenen Zeiten römischer Literaten und unseren Tagen dahin geflossen, haben Kunst und Wissenschaft und unaufhaltsam fortschreitende Gesittung, uns mit einer Masse von Kenntnissen, Erfahrungen, Erfindungen und neuen Schöpfungen bereichert, von denen nicht Cicero, noch Plinius sammt all' den, in anderer Hinsicht unerreichbaren Vorbildern lateinischer Classicität eine Ahnung hatten. Sollen aber diese sich mehr und mehr anhäufenden Schätze unsers Wissens ein Gemeingut aller Völker bleiben, das auch auf die kommenden Geschlechter ungetheilt forterbt, so müssen sie vor allem auch in derselben Sprache besprochen und mitgetheilt werden, die allen Völkern der Erde gleich zugänglich und verständlich ist, und dazu bedürfte es – sollte ich meinen – unumgänglich einer steten Fortbildung und Bereicherung jener Sprachformen, wie sie die glücklichen Nachahmer eines Cicero und Livius, Horat und Virgil, mit dem Wiederaufleben der Wissenschaften vielfach versucht und zum Theil mit dem günstigsten Erfolge geleistet haben.</p> <p>Diese und ähnliche, nicht minder nahe liegende Gründe rechtfertigen denn wohl auch das Unternehmen, die Werke eines <i>Strada, Mariana, de Thou, Buchanan, Beza, Vida, Caspar Lebeau</i> und andrer ausgezeichneter latein.(ischer) Schriftsteller des Mittelalters aus dem Staube zum Theil unzugänglicher Büchereien hervorzuziehen und die studi-</p>	<p>Scilicet homines antiquos, qui nobis exemplo sint aeterno omnium rerum excelsarum et pulchrarum, nondum potuisse omnibus esse omni modo exemplares; nonnullum sanê agrum cognoscentiae humanae illi nobis reliquerunt inaratum, aut parum fertiliter cultum, et saeculorum decursu, quae inter aurea tempora auctorum Romanorum et dies nostros sunt elapsa, progressu artium scientiarumque necnon cultûs civilis humanique ditificati sumus ingenti multitudine cognitionum et experientiarum et inventionum novarumque creationum, quas esse neque Cicero neque Plinius ceterique omnes Latini auctores classici, qui aliis in rebus sunt praestantiâ inexcelsabili, numquam ullo modo suspicati erant. Hi autem thesauri scientiae nostrae, quae magis magisque accumulatur si oportet maneat bonum commune omnium populorum, quod etiam generationibus futuris hereditate tradetur indivisum, imprimis necesse est, ut tractentur et tradantur eâdem linguâ, quae omnibus gentibus orbis terrarum aequê est accessibilis et intellegibilis, et ad hoc faciendum mihi quidem inevitabiliter necessarium esse videtur, ut continuo excolantur atque exaugeantur illa genera sermonis, qualibus felices imitatores Ciceronis et Livii et Horatii et Virgilii scientiis resuscitatis saepe ûti conati partim cum successu prosperrimo.</p> <p>His et similibus de causis haud minus manifestis ratio redditur propositi mei, quo opera <i>Stradae, Mariana, Thuani, Buchanan, Bezae, Vidae, Casparis Lebeau</i> aliorumque auctorum Latinorum excellentium ex pulvere bibliothecarum partim inaccessibilium extrahi et</p>

- V -	- V -
<p>- rende Jugend mit Autoren bekannt zu machen, die sie oft kaum dem Namen nach kennen, und welche, indem sie ihre Literaturkenntniss erweitern, ihren Geschmack bilden, und dem Gedächtnisse einen Reichthum von Wortbildungen und Ausdrücken neuerer Zeit zuführen, die oft den Unterrichteten abgehen, das Nützliche mit dem Angenehmen höchst mannigfaltig zu einen wissen.</p> <p>Der Entschuldigung bedürftiger erscheint dagegen die Wahl und Anordnung der einzelnen Stücke, so wie die Einschaltung mancher, für die Wiederherstellung des Zusammenhanges bisweilen nothwendigen Zusätze, und endlich die oft nur coniecturirte Lesart des Textes, wobei der oft selbst von Unrichtigkeiten strotzende, vor längerer Zeit in Frankreich erschienene <i>Cours de litterature comparée</i>, in so weit diess zulässig, zu Grunde gelegt werden musste, da wir, so viel mir bekannt, in der ältern und neuern deutschen Literatur kein ähnliches Werk besitzen, und es bei der grossen Anzahl und unglaublichen Fruchtbarkeit der vorhandenen Schriftsteller, deren allein gegen achtzig für unsern Zweck benutzt worden sind, oft unmöglich war, unmittelbar zur Quelle zu gelangen. -</p> <p>Was die Wahl der einzelnen Stücke betrifft, so ist zwar in Berücksichtigung von Verstand und Herz, von Reinheit des Styls und des Inhalts die möglichste Strenge geübt, und alles ausgeschlossen worden, was den guten Sitten und einem geläuterten Geschmack nur entfernt anstössig erscheinen könnte; allein die Notwendigkeit, immer nur solche Fragmente aufzunehmen, die auch aus dem Zusammenhange gerissen noch ein selbständiges Ganze bilden, legte der Auswahl nicht selten Fesseln an,</p>	<p>iuvenes certiores feci de auctoribus, quorum saepe vix nomina noverunt, et quibus legendis scientiam litterarum exaugent, sensum artis percipiendae erudiunt, memoriam ditificant thesauro verborum et locutionum aetatis recentioris, quae saepe praetereunt etiam doctissimum, necnon utilia cum iucundis summa cum varietate sciunt coniungere.</p> <p>Excusatione potius indigent electio et dispositio singulorum textuum, et interpositio additamentorum ad cohaerentiam restituendam interdum necessariorum necnon lectiones textuum saepe coniecturis tantum restituae, quod fieri non potuit nisi <i>Cursu litteraturae comparativae</i>, quantum licuit, adhibito, (qui diutius ante in Francogalliâ editus saepe ipse scatet mendis), quia nos, quantum scio, in litteraturâ et veteriore et recentiore nullum opus simile possidemus, et propter numerum magnum et fertilitatem auctorum praesentium incredibilem, quorum ad propositum nostrum ferê octoginta sunt adhibiti, saepe impossibile erat assequi fontem ipsissimum. -</p> <p>Quod attinet ad singulos textûs eligendos, severitas quidem est adhibita quam maxima in mente et in animo respiciendis, in puritate sermonis et argumentorum servandis, et omnia sunt exclusa, quae bonos mores et gustum politum vel minimê offendere possint; tamen necessitate, quâ talia tantum fragmenta recipiuntur, quae quamvis e contextu erepta tamen adhuc ex se ipso apta et intellegibilia, haud raro numerus eorum fragmentorum, quae fuerunt electione digna, quam vehementer deminutus esset</p>

- VI -	- VI -
<p>deren Druck dem einsichtvollen Beurtheiler schwerlich entgehen wird und deren Gewicht sich noch verstärkt durch die Rücksichten, welche die Anordnung gebot, da das Bessere nicht immer auch für das bestimmte Fachwerk das Passendste war.</p> <p>Mängel dieser Art sind bei Werken wie das vorliegende unvermeidlich und lassen sich, wenn das Buch sonst nur zweckmässig bearbeitet und strenge Einheit in Plan und Ausführung beachtet worden ist, auch wohl füglich übersehen. -</p> <p>Was endlich den Gebrauch dieser Latinität der Neuern betrifft, so bedarf es deshalb keiner besondern Anleitung; die gewählten deutschen Ueberschriften sollen auch den minder Leselustigen als Anreiz dienen, und Stoff zu den mannigfaltigen Uebungen im Exzerpiren, Disponiren und selbst zum Memoriren wird sich dem geschickten Lehrer fast auf jeder Seite darbieten.</p> <p>Er, der dem Menschen nebst Leben und Odem, auch den Sinn für geistige Bildung und Vervollkommnung seiner höhern Natur eingepflanzt, segnet ja jedes ernste wissenschaftliche Streben hienieden, er lasse auch das Meine nicht ungesegnet bleiben! -</p>	<p>etiamque vehementius respectu dispositionis, quia melior textus haud semper quadrabat ad certam disciplinam, vix praeteribit censorem peritum.</p> <p>Defectûs huiusmodi in tali opere, quale hîc tractamus, sunt tam inevitabiles, ut liceat eosdem, si quidem liber ceteroquin aptê et convenienter compositus et ad usum severê accommodatus est, concedere incastigatos.</p> <p>Denique quod attinet ad usum huius Latinitatis auctorum recentiorum, non necessaria sunt praecepta specialia; talia verba theodisca sunt superscripta, ut excitent etiam hominem legendi minus cupidum, et magister aptus omni ferê paginâ inveniet materiam exercitiorum multiplicium excerpenti et disponendi necnon memorandi.</p> <p>Ille qui homini praeter vitam et spiritum inseruit etiam sensum animi erudiendi et perficiendi, hisque in terris omne studium scientiarum gravius benedicit, utinam ne meum prohibeat a benedictione suâ! -</p>

VII	
I n h a l t - A r g u m e n t a	
Beschreibungen - DESCRIPTIONES	
1. Der Frühling – VER , G. Caussinus.....	Seite/Pagina 1.
2. Die Grotte der Calypso – ANTRUM CALYPSONIS , C. Lebeau.....	2.
3. Die Petarde – MACHINA DISPLOSIVA , Favian, Strada.....	2.
4. Der Palmbaum – PALMA INDICA , P. Maffeus.....	3.
5. Die Bienen – APES , Camerarius.....	4.
6. Die glücklichen Inseln, INSULAE BEATORUM , Muretus.....	5.
7. Die Villa des Kaisers Cang-hi von China, VILLA IMPERATORIS SINARUM Gabr. Brottier.....	6.

DESCRIPTIONES

1.

VER

Scipsit G. Caussinus

Regina tempestatum pompas ducit rêgi dierum, et pulcherrimo eodemque iucundissimo stipat veluti satellitio. Nunc caelum renidet purius, nunc sol altior, et auro similior, nunc orbis lunae pulchrior splendet, atque allibati stellarum chori clarius enitescunt.

Nunc fontes manant liquidius, et hibernis compagibus expediti largius amnes fluunt, prata collucent floribus, turgent gemmis arbores, detonsi nitent herbarum tori, et per virentes agros agni lasciviunt. Iam naves cum ceumate solvunt e litore, et alas velorum explicant; mox leni cursu fluentibus assultant delphini, et suavissimê quidem anhelantes tranquillo mari fîdi comites nautas deducunt.

Laetus autem agricola serenum intuetur caelum, et aratrum reficit, frugum largitorem Deum appellans, tum strenuê boves aratores cogit sub iuga, et dulces imprimit sulcos, totus iam spe delibutus. At opiliones cum bubulcis concinnant fistulas et pastorale carmen accinunt; nunc per gramen abiecti, nunc umbrosis rupibus insidentes, veris suavitate mulcentur.

Ex alterâ parte olitores plantas excolunt, aucupes calamos instruunt, designant ramos, ad insidias eleganti artificio contextunt. Piscatores profundum scrutantur; purgant retia, petrisque marinis insident.

Interim apis laboriosa, explicatis pinnulis, discedit ex alvearibus, sapientiae datura specimen; et iam praetervolat, iam flores pabulatur, et castra cêrea concinnius elaborat, contextis veluti disparibus ac sexangulis

fistulis, rectos quoque vicos et alternos angiportûs mirabiliter implicans, ut operi firmitatem et elegantiam conciliet. Deinde mel in apothecis recondit; errat quippe et laborat suo hospiti gratum animalculum, eique feriato fructum affert periucundum.

2.

ANTRUM CALYPSONIS

Scripsit C. Lebeau

Antrum erat, ubi in rusticâ simplicitate, nihil aberat venustatis. Non hîc quidem nitebat aurum, non argentum, aut marmor. Nullus ex columnis, ex pictis tabulis decor. At excisa rupes in fornices varios dividebatur, laqueata scrupis atque conchyliis, et serpente flexibilibus ramis hinc et inde labruscâ, parietes vestiebantur. In medio sôlis aestu, molle frigus adspirabant Zephiri. Errabant inter amaranthos et violas levi cum susurro fontes, ac variis in locis balnea praebebant crystallo nitidiora. Humus circa viridis, et stellata mille floribus. Cingebat amoenissimâ nocte nitentes campos opacum nemus, solibus impervium. Ibi sacrum silentium, nisi cantus avium audiretur, ac rivuli sonitus, qui summâ de rupe praecipitans fervebat spumis, et fugere per prata properabat. Ipsum vero antrum in medio collis clivo prospectum dabat in mare, quod modo stratis undis quiesceret, modo dementi fluctu illidebatur, rupibus ingemens, et tumentis mole insurgens ferocius. Ibat aliâ de parte fluvius distinctus insulis, quas tiliae florentes et pôpuli aëriae praetexebant. At interfusi insulis canales vario lusu per arva ferebantur. Alii currere pellucidis undis, alii stagnare desides, alii multiplici mæandro redire in sese, ac sua saepe vestigia relegere, quasi amoeni ruris desiderio retenti. Procul montes immixti nubibus, qui enormi figurâ et laetissimo prospectu visum terminarent. Vicini colles vestiti pendentibus pampinis, quibus vindemia tegi vix poterat, quin erumperet. Ibi ficus, oliva, punica mâlus, ceterarumque arborum luxuries horti amoenissimi specie, campos induerant.

MACHINA DISPLOSIVA

Scripserunt Famian., Strada

Est haec machina fusili ex ære vas, formâ mortario non absimile. Imo in Iuliacensi bello, ad subruendam *Aldendorffii* portam adhibitum a se fuisse ex aromatariâ officinâ mortarium, *Tensinus*, talium machinator et scriptor, enarrat. Magnitudo illi varia: ea nunc maximê probatur, quam gestare ac pallio tegere miles non imbecillus queat. Adeo cuniculos non modo sub terram fodere, sed etiam nobiscum ferre excogitavimus! In latere ansulam habet ad suspendium, et ab imo propemodum fundo palmaris prominet ad inferendum intro incendium canaliculus.

Ubi autem inditum vasi bellicum pulverem malleo presserint, atque ad ôs usque constipaverint, summumque stupeo obturamento, ac cerata ad extremum tela concluderint, roboreum assem, latitudine vasis amplio rem ac ferreâ cruce firmatum, eidem ori superaddunt adstringuntque, eo nempe consilio, ut per illud additamentum fracturae plus fiat in ostio, quam sôla mortarii latitudo faceret, angustio rem videlicet imparemque subituris militibus apertionem.

Temperatum hôt modo *Pyloclastrum*, post terebratam, quae impetitur, portam, terebraque ibidem clavi loco relictam, ex ansulâ ad terebram alligatâ suspenditur, ore medias in fores verso, ac per sulphuratum fomitem, qui canaliculo est insertus, incenditur. Tum vero flammis ferratoque asse in portam arietantibus ineluctabili planê vi, quanto contumacius obstat, tanto impotentius obiectum quodcumque hiatu vastiore dispan datur.

Sic una demum est reperta clavis, cui (quod nullis fabrum ferramentis, nullis furum effractoriorum scalpris adhuc contigit) serae obicesque portarum omnes adapertiles sunt. Talis a *Schlenchio* machina Bonnensi portae primum (1588.) applicari iussa, irritatis interea fuste saxisque suibus, qui forte inibi stabulabantur, ut incondito eorum grunnitu operarum strepitus obtunderetur, tantâ illico violentiâ flammam evomit, ac sparsim impulit, ut non fores modo fractae revulsaeque dissilierint, sed etiam murus portae continuus eodem impetu ad terram procubuerit, adituque irrumpentibus patefacto, capta sit, priusquam capi Bonna se senserit.

PALMA INDICA

Scrisit P. Maffeus.

Multis rebus ad victum necessariis carent incolae. Sed pro iis omnibus una est palma (sic enim appellant) Indicis et Africanis caryotas ferentibus longê praestantior. Quippe non proceritate solum et pulchritudine excellit, verum etiam tota prorsus in usu est ita multiplici, ut vulgo, si quem frugi et industrium laudibus efferre volunt, *palmâ utiliore* appellent.

Prima dos in fructu ipso. *Tengam Narlemve* Indi, *cocum* seu *nucem Indicam* Lusitani dixerunt. Humani fermê capitis magnitudine, duplici operimento; quorum exterius in summo leve, stupeâ intus densitate (*Cairum* vocant) netur ac textur cannabis et sparti modo, cum alios in usûs, tum praecipuê in vitilium nexûs, et anchoralia; neque materia ulla ad nauticos funes, et maris impetûs obsequentior. Namque ut salsuginem amat ea planta, *cairum* quoque ex eâ prognatum, et marinis aquis immersum identidem revirescit, et anchoris illigatum fluitantes in salo naves egregiê continet, non tam ab innatâ duritie, vel operis firmitate, quam viriditate ipsâ, et lentitiâ quadam ad instar *commi*, ut sese vel in altum elato navigio miram in tenuitatem extendat, vel residente rursus in crassitudinem contrahat.

Interior autem calyx rufo colore et globosâ rotunditate praedurus, addito auro vel argento, in pocula figuratur; ipsa vero pomi caro amygdalae in modum, pinguedine quadam et grato sapore lactescens, non per se tantum in cibo grata est ac salubris, verum etiam ubi visum fuerit exhausto lacte, paulatim in oleum eliquatur. Totus autem racemus, dum ex eo tener adhuc emicat fructus, modo constrictus ac leviter incisus in subdita oris angusti vascula opimum instillat sucum, ex quo variis artibus coctionibusque, veteri, ut *Strabo* ipse testatur, invento, mel seu saccharum, vinum acetumque perficitur.

Iam folia, cum et librariis pro papyro sint, loco tegularum imposita, domibus arceant imbres, tum etiam in vestis formam facili simul ac spisso contextu nectuntur.

Denique una eademque arbor omnia prorsus ad rem nauticam instrumenta ac materiem praebet, quippe truncum et ramos in mâlum, assumpta et clavos, comam in vela, *cairum* in funes, ut dictum est, omnium optimos,

filaque ad laterum suturas, postremo *coccum* ipsum quaeque ex eo conficiuntur, in onera. Ita non sine miraculo quodam, omnibus planê rebus ex semet apta et instructa navigat palma; eademque discissa per hiemem vivaces ad prunas lenta ignium alimenta suppeditat.

5.

APES

Scripsit **Camerarius**.

Apes constitutâ quadam rei publicae formâ sibi regem deligunt, qui corporis proceritate et formae praestantiâ reliquis antecellat; âlis insignitur brevioribus, cruribus rectis, incessu graviore, et quodam ceu diadematis et coronae regiae decore: aculeo vel caret vel non utitur, quo reliquae pro armis instructae sunt. Numquam solus extra alvearia progreditur; sed stipatu regio cinctus, reliquo insequente comitatu, nec nisi cum toti agmini incumbunt foris negotia; progressum illum multo fremitu et bombo tubarum tamquam cantu praesignificant et accedunt; quaeque propius potest, rēgis lateri se agglomerat, omnesque illum volando defessum suo corpore sustinent. Quemcumque locum rex insederit, illic statim castra metantur. Ubi mori illum contigerit, non iam foras pastum prodeunt, sed tristes cadaver eius circumstant, extra alvearia deportant, tamquam funus prosequuntur et inhumant.

Tandem funebribus omnibus exsequiis, magnâ pompâ peractis, alium sibi regem eligunt, quod vivere sine rēge nequeunt. Ad omnia intendit, oculos in omnem partem torquet, dum reliquae operi incoepto intendunt, atque obvolitans omnibus animos addit et moras castigat. Tempus sibi ad progressum, pastûs causâ, serenum et sudum eligunt; nam et praesagendarum caeli tempestatum vim insitam habent. Hac sunt iustitiâ et aequitate, ut numquam alicui animanti aculeo aut aliâ arte sint molestae, nec umquam stimulum suum in quemquam exserant et acuant, nisi domicilii et alvearis tuendi causâ. Interdiu ad portas vigillum ac custodiarum stationem disponunt; de nocte tamdiu ab opere quiescunt, quoad una, cui id munus incumbit, uno aut altero bombo, tamquam tubae clangore, omnes excitaverit: inde coeunt exploraturae caeli condicionem. Quam si serenam fore praesagierint, in campos et pabula prodeunt. Ergo aliae florum fasciculos cruribus, aliae aquam ore, aliae roscidum umorem

corpore exceptum in alvearia comportant. His occurrunt aliae, quae onera excipiunt et in sua loca statutasque sedes distribuunt; quae in campos ad pastum dimittuntur, iuniores sunt ac graciliores. Itaque si tum forte suboriatur saevior aliquis ventus, tamdiu exspectant, quoad subsederit, et vis eius atque impetus remiserit. Quod si saeviat diutius illis adversus, lapillo se saburrant, et humile supra terram volant, ne illius impetu huc illuc exagitatae raptentur.

Ad res omnes suas sunt attentissimae, et desidum socordiam saepe morte ulciscuntur: nonnullae exstruunt, aliae exstructa perpoliunt; aliae commeatum important; miro autem artificio sibi architectantur fornicata illa alvearia, eaque faciunt duabus ianuis pervia, una ad ingressum, altera ad egressum comparata. Conveniunt unâ omnes, ne inaequalitas aut in cibis aut in labore dissidii ansam afferat. Lauti et munda ut sint domicilia sua curant; ignavos fucos, fruges consumere et laetos aliorum labores destruere natos, a praesepibus arcent: quae aculeum amiserunt, inutiles redduntur, quod paulo post illis viscera effluant et moriantur. Dominis suis mirificos afferunt cerae et mellis fructûs.

6.

INSULAE BEATAE

Scripsit **Muretus**.

Proditum est a veteribus poetis esse quasdam in oceano insulas, ad quas post mortem deferantur eorum animi, qui sanctê religiosêque vixerunt. Ibi eos inter se iucundissimê ac suavissimê vivere, in amoenissimo quodam prato, quod gemmeâ florum oculis naribusque gratissimorum varietate perpetuo distinctum picturatumque sit; numquam non illic ridere caelum, frondere arbores, pubescere herbas, nitere omnia: spirare assiduê mollissimos favonios, quorum flabellis arborum comae leviter ventilatae placidissimo murmure auribus blandiantur. Eo accedere innumerabilem vim ac copiam immortalium avicularum, quae usque et usque liquidissimos cantûs tenui gutture funditantes, intimos audientium sensûs incredibili voluptate permulceant; pratum ipsum perennibus rivulis variê intersecari, quorum aquula nitidissima ad versicolores lapillos molliter fracta et allisa susurrum efficiat dulcissimum. Ita quâ flosculorum ambrosios odores exhalantium suavitate, quâ zephyrorum viridantibus

arborum ramis illudentium sibilo, quâ volucrum concentibus, quâ blando murmurantium rivulorum strepitu beatas illas mentes indesinenter hilarari. Ergo alios ad Orphei Amphionisve lyram choreas agere, alios psallere, alias corollas texere, alios in herbâ fusos, quâ tellus tremulis laurorum ac myrtorum opacatur umbraculis, iucundissimos sermones conserere, humum ipsam opum suarum prodigam, sine ullo cultu ter quotannis ubertate summâ alimentorum copiam eis suggerere atque subministrare.

7.

VILLA IMPERATORIS SINARUM

Scripsit **Gabr. Brottier**.

Villa Yuen-ming-Yuen ad Sinenses lêges fuit exacta, quibus hortus est brevis et nitida totius naturae imago. Inde intra unius horti fines, disiecti ac sine ullo ordine, aut naturâ aut hominum manu, montes, colles, valles. Passim aquae, quarum aliae e rupibus praecipitantur, aliae e fontibus scaturiunt, aliae in stagna, in lacûs diffunduntur, omnes in quandam maris immensitatem confluunt. Nulla certa iis regula: sôlîs naturae legibus regi moverique omnes videntur. Hae scopulis illisae, illae inter lapillos susurrantes, modo recto placidoque cursu, modo incitato, praerupto, retorto. Pontes iis impositi, alii agrestes, alii elegantiores, lignei, latericii, sectisve e lapidibus, diversi omnes, perpauci recti planique; multi testudinati, gradati, miras quoque in figuras longasque ambages torti. Ripae naturâ, non arte, aut ita dissimulatâ, ut numquam ars appareat, terreae, herbosae, saxae, rectae, curvae, obliquae, anguloso procurso aut sinuoso recessu interruptae, interspersae calamis, arundinibus, sagittâ, persicariâ aliisque fluviatilibus herbis, quibus diversa forma, flos varius, et venusta species. Inter canalium stagnorumque undas emicat *Lien-hoa*, speciosum nymphaeae genus, laetum florum amplitudine et varietate, lacteo puniceoque simul flore maximo insigne, ut olim Aegyptiis, sic adhuc Sinensibus gratissimum. Per colles dispositae arbores, ut fert quarumque natura, aut floriferae, aut frugiferae, aut silvestres aut peregrinae. Colle persicorum mâlorum nihil visu pulchrius.

Vallibus insident regiae domûs, singulae in singulâ valle; plus ducentae numerantur eaeque amplissimae, viri alicuius principis totiusque eius familiae capaces. Raro autem habitantur, in solos fermê usûs prandiorum,

cenarumve aut deambulationum paratae. Cedrinis columnis aliisque selectis e lignis nitent. Subgrundia, fastigia, tecta diversis coloribus illita. Unicuique domui adstat proxima spadonis custodis domuncula, quae latitat muro aliquo obtecta. Imperatoria autem domus, ubi imperator, materque, si vixerit, et imperatrix, ceteraeque feminae, et ancillarum atque spadonum agmina latê habitant, proxima est a villae ingressu, post primas aulas, et cavaedia, singulosque eorum hortos, cincta latis altisque aquarum canalibus, decem circiter *Li*, seu leucae unius ambitu.

Ibi refulget ditissimi imperii opulentia, sericis, aureis argenteisque textis, diversicoloribus pigmentis, Iaponicis Sinicisque vasis et artificiis, lignis lapidibusque pretiosissimis, omnibusque regalibus opibus magnifica.

Inde recto fermê limite via ducit ad oppidum mediâ ferê in villâ situm. Sua habet valla, turres, propugnacula, fora, templa, curias, praetoria, portum, naves, omnis generis officinas: cauponas, tabernasque et reliqua omnia, quae in amplissimâ urbe occurrunt. Velit princeps, statim oppidum occupatur a spadonibus, veste habituque mentitis milites, iudices, mercatores, et cuncta vitae civilis officia. Momento obversantur magnae urbis concursationes, strepitus, tumultus, nundinationes, et, apud dolosissimum hominum genus, doli, fraudes, carceres, poena, poenarumve simulamina.

Alia per villae agros occursant spectacula, rus rurisve labores, pascua, armenta, pecora, pastores, agricolae, eorum tuguria, vomeres, rastra, campi oryza frumentoque sati, hortulani etiam et aucupes, et venatores et piscantes, et universa agrestis vitae famulitia.

Inter tantam, tam multiplicem, et ab unitate adeo remotam diversitatem (quod merito hortensis Sinarum artis summum appellabo) unus est ac praecipuus totius villae locus, mare, cuius latitudo superat mille quingentos passûs. In ipso meditullio exurgit insula, rupesve, cui imposita domus elegantissima, quadrata forma, quae plus centum cubicula, cenacula, diaetas complectitur. Nihil in totâ villâ ornatius, ut et situs pulchrior. Maris ora mirâ varietate disposita, cuius crepido partim e caespite, partim e nativâ loci declivitate. Plures quoque pluribusque formis adpositi sunt gradûs, quibus via ducit ad clivos, ad aggeres, ad domos, ad ambulacra, aliaque proxima loca, quorum gratissimus est e domo prospectus.

Sed et maris et domûs praecipua laus praecellentissimumque artificium, quod huc referuntur omnes totius villae partes. Hinc videre est alveos qui undique in mare confluunt, pontes iis impositos, valles, domosque per

valles sparsas, colles singulos arboribus suis vestitos. Huc variis e partibus accedunt naves ornatissimae, quarum aliquae sunt tantae amplitudinis, ut septuaginta octo pedes longae, viginti quattuor latae, cultissimas domos sustineant.

Laetissima per diem villae species noctu adhuc vincitur, si volupe sit festis ignibus versicoloris pyrii pulveris, quorum ars summa apud Sinas viget, recreari; aut, si lampadibus tota illuminanda sit villa, quae maxima ibi festivitas est, immo et religio, maximê quintâ decimâ die lunae, seu primi mensis, cum Sinense imperium, quantum quantum est, lampadibus in mille figuras, picturas, ditissimosque apparatûs formatis, collucet. Incredibile est, quam magnificum, quam caeleste e totius villae luminibus, in mare eiusque domum collineatis, illucescat spectaculum.

PRAEFATIONEM

CHRESTOMATHIAE PHILIPPI NEOLATINAE

LATINE REDDIDIT

ET SEPTEM DESCRIPTIONES

EX EÂDEM EXCERPSIT

LEO LATINUS

DE LATINIS AMBULATIONIBUS AUGUSTANIS

<https://maximilianus-schoen.jimdosite.com/>

Augusta Vindelicum, theodiscê *Augsburg*, patria mea urbs, in Germania meridionali in parte Bavariae, quae iacet ad Alpes, sita est. Imperator Octavianus Caesar Augustus, qui urbem anno quinto decimo ante natum Christum dicitur condidisse, celebre ad posterum nomen novae urbi dedit: Augusta Vindelicum. Sic urbs fundatio filia ipsius Romae est. In antiquissimarum urbium Germaniae numerum refertur.

Omnibus temporibus lingua Latina in urbe vigeat. Pauca exempla proponam:

Lingua Latina tempore antiquitatis cunctorum sepulcrorum Romanorum elogia scripta sunt. Lingua Latina Venantius Fortunatus tempore mediaevali priore beatam martyrem Afram praedicavit (VEN. FORT. Mart. 4,463). Lingua Latina Gerhardus, presbyter Augustanus, anno 993 vitam Udalrici episcopi Augustani composuit (GERH. AUGUST. Udalr.). Lingua Latina articuli fidei Confessionis Augustanae (CA) anno 1530 in comitiis imperii Augustae celebratis coram Carolo imperatore huius nominis quinto recitati sunt. Lingua Latina Conradus Peutinger, vir humanitatis studiosus, ad eruditos eruditasque Europae litteras misit et ab eis rescriptas suscepit (Konrad Peutingers Briefwechsel, hg. v. Erich König, München 1923) et Tabulam Peutingerianam (TAB. Peut.) edere studuit. Lingua Latina Hieronymus Wolf, gymnasii scholarcha, librum scripsit de vita ipsius acta (Helmut Zäh, Die Autobiografie des Hieronymus Wolf, Donauwörth 1998, Mikrofilm). Lingua Latina Pharmacopoeia Augustana, liber de medicamentis et de arte pharmaceutica, curis succedaneis et repetitis typis multoties procusa est. Lingua Latina Franciscus Antonius Veith suam Bibliothecam Augustanam duodecim libris absolvit (Franciscus Antonius Veith, Bibliotheca Augustana, Augustae Vindelicae, 1785 – 1796). Lingua Latina Augustae Vindelicum multi ludi scaenici theatri Iesuitici dati sunt. Lingua Latina plus quam quadringenta epitaphia in ambitu ecclesiae cathedralis Augustanae scripta sunt, quae hodie exstant et visuntur. Lingua Latina Wolfgangus Kaschner, condiscipulus et amicus meus, anno 1982 opusculum suum discipuli abiturientis composuit (De lingua Latina docenda in schola ad St. Annam. Typoscriptum domi meae in privata bibliotheca est). Lingua Latina Valahfridus Stroh anno 1985 Ludos Latinos frequentissimos Augustae Vindelicum celebravit.

Et plura exempla afferre possum. Magnus linguae Latinae litterarumque Latinarum amor in urbe mea usque ad nostram aetatem numquam mortuus est.

Hanc coruscantem faciem a maioribus traditam, ut amplius luceat, ferre et posteris tradere volo. Pergam, qua praecedentes Latii sermonis amici coeperunt. Et vos in hoc itinere mecum, si vultis, proficisci poteritis.

Nam ex anno 2022 ambulationes Latinas per Augustam Vindelicum facere soleo. Quicquid urbe tota ostendi dignum conspicuumque est, spectandi et audiendi cupidus Latino sermone monstro. Superiore anno 2022 tres tales periegeses factae sunt. Nam periegesium experimentum capere volui. Et profecto periegeses omnibus, qui aderant, - non ego falsa loquor - placuerunt maxime et vehementer probatae sunt. Nam in ambulando non solum serio egimus, sed etiam multas garrivimus nugas. In narrando cognitione digna et hilaria commiscui, ac tamen omnia ex fide referre volui. Semper incorrupta Latini sermonis integritate ūti studui. Nec, cum libuit, paulum interquiescere ac in tabernam aliquam devertere puduit. In tertia ambulatione iam tam in dicendo exercitatus fui, ut mihi contingeret, ut libellum, quem manu tenerem et ad quem interim respicere fas esse mihi concessissem, omnino deponerem et sine scripto loquerer memoriter. Hoc modo non oratio, sed colloquium potius fuit. Latinitate remissa, sermonibus iucundis, conversatione hilari totum viae spatium confectum est. Quid de forte praetereuntibus dicam, qui nonnumquam stupuerunt et vehementer admirati sunt et ex nobis interrogaverunt, quo idiomate miro sermonem conferremus? Tamquam aves paradisiae transmarinae atque adventiciae eis videbamur esse!

Hoc anno, qui est 2023, quattuor ambulationes Latinae fient. In eis ambulationibus quicquid ad aquas Augustanas pertinet, expediam. Nam aquae Augustanae insigne hominum generis patrimonium sunt: Fontes aquarum, quae potantur, rivi et rivuli, aquaeductus subterranei, pontes, turres aquaticae, urbis portae et moenia, rota aquaria, “litus balneare nudorum”, fontes salientes praeclarissimi, simulacra numinum fontibus affixa vobis demonstrabuntur. Ambulationes aestivis mensibus fient. Certe murmur garrulorum rivorum et potus aquae purae et salubris ex fontibus manantis recreatio periucunda et pergrata erit.

Tamen proxime elapsa aestate anni 2022 inter ambulationes meas statum caeli antiqua lege solutum et mutatum esse cognovi. Nam in secunda ambulatione aestatis nimius fervor fuit. Aestivis ardoribus aquae magnitudo deminuta fuit. Rivuli tenui fluxerunt aqua. Rota aquaria autem summam aquam non iam attigit et stare coeperat. Nimius Titan etiam nos fautores fautricesque Latinitatis plane cepit et depressit, ut ex loco opaco in locum opacum fugeremus (vide in Voce Latina, tomo 58, fasciculo 230, paginis 555 et 556). Spero fore, ut aestate proxima futura anni 2023 istud terrarum fatale malum nobis, qui adamavimus litteras Latinas, minus noceat.

Anno igitur 2023 quattuor ambulationes ordinariae “Aquae et muri” fient:

- die Saturni, die 13 mensis Maii, hora secunda pomeridiana
- die Saturni, die 17 mensis Iunii, hora secunda pomeridiana
- die Saturni, die 22 mensis Iulii, hora secunda pomeridiana
- die Saturni, die 16 mensis Septembris, hora secunda pomeridiana

Augustae Vindelicum ante Portam Rubram conveniemus (Am Roten Tor 1) et per duas horas ex commodo vestro ambulabimus. Unusquisque quinos denos nummos Europaeos solvito. Non satis adulti et scholastici et invalidi et emeriti denos nummos solvunt.

Si vultis, apud me etiam ambulationes extraordinarias mandare poteritis. Quattuor argumenta propono:

- Aquae et muri (vide in Voce Latina, tomo 58, fasciculo 230 paginis 565 – 595)
- Augusta Vindelicum Latina (vide, quae superius de ea re scripsi)
- Augusta Vindelicum Christiana
- Augusta transversa (“*Augsburg querdurch*”)

Si quid nescitis, quaerite in sede retiali mea:
maximilianus-schoen.jimdosite.com

Aut telephonice mecum colloquimini:
Germania, 0821 9069613

Aut mittite epistulam electronicam ad inscriptionem hanc:
maximilianus-schoen@t-online.de

Cum vos Augustae Vindelicum salutare potero, totus gaudebo. Accepti et acceptae venietis.

Scriptis

MAXIMILIANUS PULCHER

i.e. Maximilian Schön

Augustanus

(Augusta Vindelicum i.q. Augsburg)

ECHUS VOCES EPISTULAE

CHRISTIANUS LAES PRAESES ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

d.14. m.Apr. a.2023 h.2:10

**Nicolaus Leo Latinus Christiano Laes Praesidi Academiae Latinitati Fovendae
maximè honorabili sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.**

Care Christiane, Licetne ex te quaerere rem technicam? **D.29. acroasin faciam Zoomianam de Orbe Picto Hexaglotto.** Quid de hominibus qui acroaseos zoomianae participes fieri velint, quamvis non sint sodales Academiae Latinitati Fovendae? Quomodo tales homines nomen dare possunt participando? Ceterum volui hoc quaerere ex Nicolao de Nico, sed - proh dolor - animadverti me non posse mittere epistulam ad eius inscriptionem, quae est nicodemico4@gmail.com Accipio enim "Daemonem cursualem" ("*Mailer Demon*"). Scisne, quare hoc fieri non possit? Accepistine Epistulas Leoninas 272 et 273, quarum prior continet cum cetera tum symbolas Glossarii mei Orbis Picti Hexaglotti, posterior multa ova et lepōres Paschales? Si acceperis, scribas mihi, quidquid tibi in buccam venerit.

Pantraticè vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

d.14. m.Apr. a.2023 h.12:26

Christianus Nicolao sodali optimo!

In oratione tua annuntianda, mi Nicolae, eandem viam sequemur atque pro aliis. Mox Nicolaus omnes sodales invitabit per nexum Zoomianum -- quo tu postea poteris uti ad alios invitandos. Etiam rem palam faciemus et per Twitter et in sede nostra. Valeas valeasque, raptim ex Tiphlide!

Prof. Dr. Christian Laes. Departement Geschiedenis/ Department of History. Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp. - Stadscampus-S.SJ.303-Sint-Jacobsmarkt 13-2000 Antwerpen- B 2000 Antwerpen

Nicolaus Christiano s.

Summas gratias pro responso prompto! Obstupefactus lego te ex urbe Tiphlide hoc scribere. Versarisne in Colchide patriâ Medeae, ubi Argonautae furati sunt vellus aureum? Vale semper pantraticè, optime Praeses! Medullitus **Nicolaus Leo Latinus.**

P.S. De nomine urbis Tbilisi – თბილისი Latino. Ubi invenisti formam nominis *Tiphlis*, *-idis* f. ? Neograecè haec urbs appellatur *Tiflida* – Τιφλίδα. Haec hactenus. Sit tibi iter Colchicum felicissimum!

Tiflis (Tblisi) Thermopolis Colchorum. Ceterum exstant etiam **Thermopolis Helvetiorum** (*Baden, Confoederatio Helvetica*) et **Thermopolis Americanorum** (*Thermopolis/ Wyoming, USA*). <https://en.wikipedia.org/wiki/Tbilisi>: „The name "Tbilisi" derives from Old Georgian Tbilisi (*Asomtavruli*: [ႠႠႠႠႠႠ](#), *Mkhedruli*: [თბილისი](#)), and further from tpili (*Modern Georgian*: [თბილი](#), warm, itself from Old Georgian: [ႠႠႠႠ](#) tpili). **The name Tbilisi (the place of warmth)** was therefore given to the city because of the area's numerous **sulfuric hot springs**. Until 1936, the name of the city in English and most other languages followed the Persian pronunciation *Tiflis*, while the Georgian name was [ტფილისი](#) (*Tpilis*)."

https://en.wikipedia.org/wiki/List_of_names_of_Asian_cities_in_different_languages#Tbilisi

Dibīlīsī - 第比利斯 (simplified characters) (Chinese), [\[KNAB\]](#) **Gürzex** - Гуържех (Chechen), [\[KNAB\]](#) **Guržege** - Гуржерге (Ingush), [\[KNAB\]](#) **Kalak** - Калак (Ossetian), [\[KNAB\]](#) **Kart** - Қарт (Abkhaz), **Karti** - ქართი (Mingrelian*), **Kwrdžy** - Курджы (Kabardian [Circassian]), [\[KNAB\]](#) **Tbili** - თბილი (Svan), **Tbilisi** - თბილისი (Georgian, [\[KNAB\]](#) alternative Mingrelian), **Tbilisi** (Basque, Irish, Italian, Latvian, Maltese, Polish, Romanian, Serbian, Slovene, Swedish), **Tbilisī** (Kurdish), **Tbilisi** - Тбилиси (Macedonian*, Russian [\[KNAB\]](#)), **Tbilisi** - Тбілиці (Ukrainian), **Tbillisi** (French), **Tbilisis** (Lithuanian), **Tbiliszi** (Hungarian), **Teflis** - تفلیس (Persian), [\[KNAB\]](#) **Teubillisi** / **T'übillisi** - 트빌리시 (Korean), **Tībīlīxī** - 提比里西 (Chinese [Taiwan]), **Tiflis** (Arabic), **Tiflis** (Dutch, German, Spanish, Turkish, Azerbaijani, former English, former Italian, former Romanian), **Tiflida** - [Τιφλίδα](#) (**Greek**), [\[KNAB\]](#) **Tiflis** - Тифлис (former Russian), [\[KNAB\]](#) **Tífūlīsī** - 提弗利司 / **Tífūlīsī** - 梯弗裡斯 (Chinese [archaic]), **Tobirishi** - トビリシ (Japanese)*, **Tp'ilisi** - ტფილისი (historic Georgian), **Tp'xis** - Տփլիսի (Armenian), **Tyflis** (former Polish), **طفلس** (Urdu), **தீபிலிசி** (Tamil) See also: [Names of Tbilisi](#)

GAIUS LICOPPE NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

d.14. m.Apr. a.2023 h.00:51

Nicolaus Gaio suo optimo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur, Gai carissime? Quomodo te habes? Nuper cum Joannes Carolus et Claudius facerent acroasin suam, te Franciscamque tuam breviter vidi et audivi te ex illis quaerentem, num Sarraceni umquam impetum fecissent. Praeterea Joannes Carolus inter acroasin obiter aliquid dixit - ni fallor - de lexico speciali, quod tu componeres. Rectene audivi? Quale lexicon est? Estne Calepini nova editio? - Ex longo iam tempore non accepi fasciculos Melissae. Imprimis meâ interest ea legere, quae de verbis novatis rettulisti. Quanti constat interim subnotatio annua Melissae? Spero te accepisse Epistulas meas Leoninas 272 et 273, quarum prior continet cum cetera tum symbolas Glossarii mei Orbis Picti Hexaglotti, posterior multa ova et lepores Paschales. Iamne inspexisti illum fasciculum Glossarii primum (A-antemna), quod tibi nuper misi? D.29. acroasi Zoomianâ referam de Orbe Picto. Proximis septimanis, si licet, tecum de lexicalibus rebus per litteras colloqui cupio. - Si vacabis, scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale, care amice et Nestor Academiae et Latinitatis Resuscitator, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.14. m.Apr. .2023 h.11:07

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

In epistula mense Ianuario ad te missa scribebam me primam partem glossarii orbis picti hexaglotti accepisse et addebam me laboribus obrutum hoc non statim facere posse. Infeliciter labores non minuuntur et curae familiares augentur; mater enim Franciscae, quae vidua iam amplius quattuor annos sola vivebat in longinqua domo sua, mense Februario cecidit, iterum stare non valuit et totam noctem in solo iacuit. Moniti eam quaesivimus feliciter non laesam et nunc nobiscum vivit. Glossarii tamen tui non sum immemor. - Non recordor quid dixerit Carolus de lexico meo, sed de nova editione paranda nunc non cogitamus. Certe accepi novissimas Epistulas Leoninas, sed nihil mihi fuit de his scribendum. Die 29 huius mensis, nisi quid mali intercesserit, te libenter audiemus de Orbe Picto referentem. Ceterum annua Melissae subnotatio constat 25 eur.; si fasciculos accipere cupis, numerum argentarium invenies hoc loco: <http://www.fundatiomelissa.org/periodicum.html>
Cura ut valeas.

d.14. m.Apr. .2023 h.12:02

Nicolaus Gaio suo optimo sal.pl.

Gratias plurimas, care Gaii, pro responso prompto. Scilicet bene intellego te curis domesticis et familiaribus occupatum esse. Valdê gaudeo quod pergis favere studiis meis lexicographicis et sententias tuas suasionisque semper accipio attentissimê. Mater Franciscae utinam reconvalescat, ut restituatur felicitas familiae. Uxorem tuam caram et doctam saluta a me medullitus. Haec brevissimê, mox certê, si volueris, plura. Oportet in istâ tempestate mundi omnes Latinitatis vivae defensores vinculo coniungantur firmissimo et iucundissimo. Curate ut valeatis basilicê atque pancraticê. Medullitus vos salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

ANTONIUS HORATIUS BOLOGNA POETA LAUREATUS

d.14. m.Apr. a.2023 h.01:18

Leo Latinus Horatio Antonio Poetae Laureato sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Speramus te bene accepisse Epistulas Leoninas 272 et 273, quarum prior continet cum cetera tum symbolas Glossarii Orbis Picti Hexaglotti, posterior multa ova et lepores Paschales. De argumentis harum Epistularum Leoninarum quid tibi videtur? Si vacabis, scribas, quaesumus, quidquid tibi in

buccam veniet. Si nova carmina pepigisti publicanda, mittas quaeso, Leoni; libentissimê in lucem êdemus. Haec hactenus, mox, si volueris, certê plura. Pancraticê vale, Horati, et perge nobis favere.
Medullitus te salutat Leo Latinus.

d.15. m.Apr. a.2023 h.07:13

Commentariorum curatoribus s. p. d. Horatius

Longum silentium, me inuito, postremis his temporibus me tenuit. Me excusatum habeatis, precor, quia occupatissimus sum. Nulla enim praeterit hora, quin uel elegiis, uel poematis, uel denique epigrammatis emendandis operam dem.

Nam praeterito anno amplissimum uolumen, cui *Carmina Latina index*, in uolus edere curauit. Hoc uero anno alterum uolumen, cui *Elegiae – Poemata – Epigrammata* titulus, diuulgaturus sum. Tam multa carmina emendare ingens est labor. Nam cum aliquam elegiam legam quaedam inuenio uerba, quae mutanda esse duco; nonnullos uersus parum concinnos lego; quaedam hexametra uel pentametra funditus reficienda esse puto. - Qua de causa, quamuis Commentarios accepissem et huc illuc quaedam cursim lectitassem, maior quidem pars fuit mihi necessario omittenda. Ignoscite mihi, cum sciam omnia esse maxima cum cura exarata. - Quo mihi indigno facilius ueniam detis, carmen ad uos libentissimo animo mitto. Quod uos, si dignum quod euolgetur putetis, per Commentarios lectoribus praebeatis, oro. - **Basilice uos saluto Horatius.**

d.16. m.Apr. a.2023 h.03:06

LEO LATINUS ANTONIO HORATIO POETAE LAUREATO OCCUPATISSIMO SAL.PL.DIC.

Summas gratias, care Horati, pro carmine tuo, quod Epistulae Leoninae 274 iam inserui cras publicandae. Opuscula tua poetica sunt commentariis nostris et honori et decori. Cum sis alteri volumini Carminum Latinorum diuulgando deditissimus, intimo ex animo tibi exopto, ut etiam hoc opus êdendum tibi succedat felicissimê. Vale semper basilicê atque pancraticê, et piâ gratâque mente cole Thalam tuam. **Medullitus te salutat Leo Latinus.**

ANSGARIUS OSLOENSIS

d.13. m. Apr. a.2023 h.12:48

Nicolaus Ansgario suo Osloensi sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Quomodo te habes, sodalis carissime? Accepistine Epistolam Leoninam 273, cui multa insunt ova et lepores? In EL 272 insunt uerba quae mihi scripsisti de arte abstractâ. Iamne vidisti? Quomodo dies Paschales degisti? Cum mihi iam scripseris te catholicum esse, certê ecclesiam frequentasti. Uxor mea (quae Coreanae est stirpis, sed nomen christianum habet, q.e. *Clara*) occupatissima erat organo variis in ecclesiis modulando, quia uices ei gerendae erant collegae organistae aegrotantis. Ego eam haud illibenter comitatus sum quadam curiositate atque desiderio spirituali affectus, quamquam, ut verum confitear, sum '*christianus submarinus*' (qualis a quodam parcho dicti sunt christiani qui in ecclesiâ non apparent nisi raro et subito (plerumque diebus Nataliciis et Paschalibus) - similiter ac naves submarinae non emergunt e fluctibus nisi raro et inexpectatae. Sed raritatem meam ecclesiasticam luculenter compensavi: trium enim missarum particeps fui, quarum omnis per minimum duas horas duravit. Babae, multum thuris est fumigatum, multum aquae benedictae dispersum, multae preces factae sunt ad magnam multitudinem Sanctorum directae, cantata sunt multa cantica - quorundam melodia mihi iucunda est: Quis ingentem illam Laudem Magni Dei maiestatis plenissimam (*Te Deum laudamus - Großer Gott, wir loben sich*) audit nisi horrore cum iucundissimo? - Cuius animus non admirabiliter afficitur cantico illo illustrissimo, quod litteris mandavit *Theodericus Bonhoeffer* in carcere funestissimo ("*Von guten Mächten treu und still umgeben*")? - Sed doleo, quod uox mea iunioribus annis parum instituta parumque exercita nunc senescens eo minus apta est ad cantica tam graua et excelsa cantanda. Animadverti autem me hanc inopiam communicare cum missae participibus non paucis; interdum nemo cantauit nisi parochus et

Clara mea supra in podio sedens organo modulans. Manifestum est utramque ecclesiam nostram - et Catholicam et Evangelico-Lutheranam - in dies Dominicas deminui et famâ et numero fidelium. Quod ego - quamvis prioribus annis quorundam clericulorum hypocrisi vitiosâ repulsus reprobator copiosaeque *Historiae criminalis Christianitatis* a *Carolo Henrico Deschner* ingeniosê conscriptae lectitator studiosus - nunc aetate provectus vehementer doleo, cum sollicitus videam societatis nostrae *vacuum spirituale*, quod exortum est fide traditâ christianâ depereunte, nunc compleri talibus fictionibus apocalypticis et pseudoscientificis, horrendis et absurdissimis necnon a naturâ hominis alienissimis, quales sunt *climatomania* et *genderismus* et *transhumanismus*, immo *satanismus*. Haec hactenus de materiâ abundantiore, quam ut hîc loco tractem sat prolixê. Quid tibi, care Ansgari, videtur de his rebus, quarum tu mihi esse videris peritissimus? Scribas mihi quidquid tibi in buccam venerit. Epistolia tua semper exspecto magnâ cum suspensione animi. Haec hactenus, sodalis serenissime, et fac ut valeas quam optimê. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.13. m.Apr. a.2023 h.20:17

Ansgarius Nicolao s.

Salvus sis Nicolae! Gratias tibi ago pro ultimis epistulis leoninis. De ovis paschalibus, de apris, de arengis, de mangis ceterisque rebus, quae maxime studium movent, animi cum delectatione perlegi. Haud scio, an non sum dignus, ut scriptulum meum magno in opere tuo doctissimo legatur!

Haec breviter de Ecclesia et de Christologia, nam nisi primoribus labiis theologiam non delibavi. Cum in ecclesiae catholicae aqua piaculari ablutus sim, die dominica sacrum apud Domini canes in ecclesia Sancti Dominici audire soleo. Etiamsi homo non bene moratus, quippe qui, annis progredientibus, scelus scelere augeam, spero in Christo. Quis igitur est Iesus ille Christus? Si doctrinam christianam bene intellexi, ecclesia catholica, apostolica et romana, non secus ac in fabulis solet fieri, est fera quaedam biceps. Quem enim fugit, quam febriculose, per multas aetates, pars visibilis Ecclesiae corpus suum serpentinum, immane ac maculosum, tum in re politica, tum in cultu civili, scilicet omnibus in rebus admodum fluxis caducisque, agitaverit? Nonnulli autem christiani sunt, qui non ignorent, partem alteram ecclesiae, invisibilem quidem, et aeternam, in ima praecordia hominum versari. Et inter omnes constat, christianos pariter atque atheos, quam celeriter Ecclesia mundana, et sub aspectum cadens, more potestatum temporalium, in peius mutetur. Nemo tamen potest portionem Ecclesiae occultam ac spiritalem, terminis circumscribere, vel definitione explicare. Sunt historici qui argumentis non improbabilibus demonstrent, Iesum Christum numquam fuisse. Quodsi re vera Christus Hierosolymis, imperatore Tiberio, minime versatus est, nihil ad rem refert. Regnum enim Dei non venit cum observatione, sed est intra homines. Iesus Christus, magis quam propheta iudaicus delirans, est principium mutans animum hominis. Mens cuiusvis hominis capax est totius universi. Sed iam nimio furore speculativo desipio! cum viva voce ac lingua humana, et coram populo, de rebus arcanioribus disserimus, non immerito in numero mente captorum censemur! - Tempore paschali, fere perpetuo domi me continui, more testudineo meo, ut nonnisi gradu haesitanti ad Ecclesiam Sancti Dominici, sexta et septima feriis parasceves, me conferrem, ad synaxim accipiendam. Nunc autem in Hispania versor, animi laxandi gratia. Iam oppida vetustissima Castra Caecilia et Emeritam Augustam perlustravi, ut ecclesias, palatia, parietinas inspicerem. Cras Matritum petiturus sum, ut rursus museum pratense lustrem, ad oculos et mentem contemplatione picturarum pascendam. Crebra itinera in Hispania facio. Nam olim multis annis in paeninsula iberica vitam egi, operae causa, et studiosus sum voluptarius litterarum hispanicarum. Perge scribere de rebus humilioribus sed maximi momenti!

Taurice te salutat Ansgarius!

d.13. m.Apr. a.2023 h.22:03

Nicolaus Ansgario s.

Summas gratias, care Ansgari, pro responsione tuâ, quam admirabili cum eloquentiâ metaphoricâ composuisti. Ambiguitatem ecclesiae lectori multo cum fervore demonstrasti. Sophos, epistolium

tuum in lucem êdam libentissimê. Vale semper, et perge mihi favere, medullitus te salutatur Nicolaus **Leo Latinus**.

JOANNES CAROLUS MEDIOLANENSIS

d.30. m.Mart. a.2023 h.12:56

Nicolaus Leo Latinus Joanni Carolo architecto Mediolanensi suo sal.pl. s.v.b.e.e.v.

Acroasin tui Claudiique libentissimê recordatus te rogo, care Joannes Carole, ut mihi mittas copiam illius symbolae, quae spectat ad etymologiam nominis veteris navis bellicae venetam. Potestne hoc fieri? Pictura "*galeae*" invenitur etiam in Orbe Picto, quem tracto. Gratias multas in antecessum. Ceterum modo invêni in interreti cinema latinum tui Claudiique, quod mox spectare cupio. Vale pancraticê, mi care sodalis Latinissime. Haec raptim, mox certê plura. Medullitus te salutatur **Nicolaus**

De sodalitate Latina moderanda, cum J. Carolo Rossi et Claudio Piga || "Rara avis" Podcast , S1EP4

d.13. m.Apr. a.2023 h.13:06

Nicolaus Joanni Carolo suo sal.pl.dic.s.v.b.e.e.v.

Quomodo te habes, sodalis carissime? Spero te bene accepisse Epistulam Leoninam 272, ubi insunt symbolae glossarii, et 273, cui multa insunt ova et lepōres. Licetne te rogare, ut mihi indices nomen auctoris et locum, ubi edita est symbola illa etymologica, quam tu et Claudius in acroasi vestrâ commemorastis? Dixistis ibi nomen navis, q.e. '*galea*', derivari a nomine, quo in dialecto Venetâ appellaretur animalculum, quod graecê dicitur *chiliopus*, Latinê *milipeda*. Haec hactenus, mi care *Joannes Carole*, mox, si volueris, plura. Cura ut valeas quam optimê.

d.13. m.Apr. a.2023 h.20:14

Joannes Carolus Nicolao s.

Nunc demum, Nicolae mi, rescribere possum! Diu enim multumque in rete investigavi num locum iterum invenirem de *galeae* origine, quod erat statim notandum, sed nihil valui: magnum enim pelagus rei informaticae perpetuo agitur, neque quae prius facile inveneras, paucis post diebus eadem iterum reperire licet. Huc accedit quod et nuntii cum praeconiis miscentur, et loci e libris excerpti non jam ex paucis fontibus hauriuntur, sicut antea, sed ex sescentis, qui sunt omnes singillatim temptandi. - Sed praesto mihi fuit *Paulus Pezzuolo*, Scholae Humanisticae conditor, cui, ut *Vicetino*, sermones Venetorum sunt in deliciis. En ergo liber in quo navis cum centipeda conjungitur:

DIZIONARIO del Dialetto veneziano di Giuseppe Borrio, Venezia 1856

GALIA, s.f. Galera o Galea, Bastimento di basso bordo, notissimo, dove stanno i condannati al remo (...)

GALIA, s.f. Centogambe o Centipede, Sorta d'insetto notissimo, detto da Linn. Oniscus Armadillo o Armadillo vulgaris. *Il suo corpo è allungato di molto, conventiquattro piedi ai lati, disposti a guisa di remi d'una galera, dal che trasse il nome vernacolo*, e due appendici alla coda. (...)

Unde conicitur non navem a verme, sed vermem a navi nomen traxisse, secus ac pridem nescio ubi inveneram. Haec hactenus. Reliqua in posterum. Neque vero deerit materia... Vale basilice!

d.13. m.Apr. a.2023 h.20:14

Nicolaus Joanni Carolo s.

Summas gratias tibi ago, quod tam laboriosê per interrete vagatus es ad etymologiam inveniendam. Cimelio tuo etymologico ornabo symbolam Glossarii Orbis Picti Hexaglotti. Nam tale navigium, quo Veneti tam gloriosê maria perlustrabant, inest etiam huic lexico, p.720, s.v. *Galeere - galley - galère - galera - galea*. Vale basilicê, mi care sodalis. Haec brevissimê, mox certê plura.

Medullitus Nicolaus.

d.13. m.Apr. a.2023 h.20:18

Joannes Carolus Nicolao s.

Claudius qua est peritia pristinum nexum invenit in commentario GALEA LA DOGARESSA DEL MARE, pag. 28 : <http://dspace.unive.it/bitstream/handle/10579/16166/859388-1237692.pdf?sequence=2>

Pag. 28 a 134: „ETIMOLOGIA DI GALEA Il nome deriva, con molta probabilità, dal vocabolo greco “galeotes”, che significa “pesce spada”, la cui forma ricorda la linea dello scafo di questo tipo di nave, lunga e sottile e con un minaccioso rostro appuntito a prua. Per tale motivo ritengo sia corretto usare il termine galia o galea e non la corruzione popolare “galera”, sorta nei secoli successivi e associata al concetto negativo di “prigione”, poco collegabile d'altronde alla realtà veneziana dei primi tempi allorquando i rematori erano uomini liberi e assolutamente non forzati alla voga. A tal riguardo possiamo anche dire che l'utilizzo di prigionieri e carcerati alla voga cominciò solo nel secolo XVI°. Per quanto concerne l'etimologia del termine galea, potremmo anche considerare che nel dialetto veneziano la parola “galia” (pronuncia gà-ia in quanto la lettera elle tra le due vocali è pressocchè muta) si riferisce ad un insetto chiamato comunemente nella lingua italiana “millepiedi”. Si tratta di un chilopode della classe degli artropodi, con un corpo allungato e depresso, con dodici paia di zampe piuttosto lunghe il quale spostandosi velocemente ricorda molto bene una galea che procede a remi. I primi prototipi di galea sembra siano stati impiegati nella vittoriosa battaglia di Durazzo sui Normanni nel 1081, ma le cronache del tempo sono alquanto lacunose e, pertanto, possiamo solo trarre una semplice deduzione logica e avanzare un'ipotesi dettata dai progressivi mutamenti dell'imbarcazione in quegli anni e al suo nuovo ruolo e adattamento nella marineria veneziana dell'epoca. Di tale graduale processo tecnologico e della nascita della prima galea ne parlano le cronache veneziane nel 1084 anche se possiamo. „--- Pag. 29 a 134: „affermare, senza alcun dubbio, che il cambiamento, la trasformazione affermare che la nascita di una nuova nave, che traeva le sue origini nel dromone, sia durato diverse decine di anni e non si sia trattato, unicamente, di un evento di “casa nostra” ma abbia riguardato anche e soprattutto i territori greci soggetti all'Impero Bizantino. Infatti la prima volta in cui si legge il termine “galeas” è su un manoscritto dell'imperatore di Bisanzio Leone VI, dal quale si può dedurre che solo in quegli anni del secolo IX°, la galea bizantina cominciava ad affermarsi con una propria identità grazie a progressivi mutamenti tali da farla “copiare” e adottare, poi, come base di partenza dalla nascente marineria veneziana.“

d.13. m.Apr. a.2023 h.21:21

Nicolaus Joanni Carolo s.

Modo tibi iam gratias egi pro symbolâ lexicis etymologici, nunc vobis ambobus, et Tibi et Claudio, pro hōc nexu interretiali excellentissimo. Gratias ingentes, mox plura, **Nicolaus.**

RADULFUS ARGENTINUS BONAEROPOLITANUS

d.12. m.Apr. a.2023 h.01:30

Carissime Leo Latine, ut mos, admiratione captus tuam Epistulam Leoninam legi, quantum potui. Tanta doctrina ei inest! Omnia mihi placent. Una de multis, tua narratiuncula de tua avia et aringis (nomen Latinum horum piscium ignorabam). Ignosce, precor, meo stulto commentariolo: tribus mulieribus quas dicis *Ursulam von der Leyen* addo. De eius opinionibus politicis nihil scio... attamen pulchra domna est. Spero me ad kalendas Graecas quoddam epigramma meum ad te missurum. Linguam etiam Iaponicam nosis! Gratias tibi, amice. **Tuus Radulfus**

d.12. m.Apr. a.2023 h.20:46

Leo Latinus Radulfo suo Bonaeropolitano sal.pl.dic.

Gaudeo, mi care Radulfe, quod iam coepisti symbolas Glossarii mei perlustrare nec anecdotam ab aviâ meâ narratam legendo praetermisisti. Placet mihi doctis rebus intermiscere delectabiles; nec lexicon componens abstineo a iocosis et satiricis. Nam varietas delectat. Iaponica verba paucissima tantum scio, bis ibi et breviter versatus sum e Coreâ australi vicinâ veniens, ubi per decem annos cum uxore vixi, quae est stirpis coreanae; admiror gentis Iaponicae stupendam subtilitatem, quae apparet ex Iaponicis rebus artificiosis et technicis. Quod attinet ad *Ursulam* illam, cuius forma tibi placet, tibi affirmo eam certê esse intelligentiorem et doctiorem quam ministrulam nostri rerum externarum maximê baceolam, sed - eheu - non esse animam candidam... Ceterum heri demum a Sinensibus inurbanissimê tractata est (quia Chinam vituperaverat) eo quod in aeriportu non

officialiter salutata est et postea ad mensam aliter ac *Immanuel Macron* a Praeside *Xi* erat remotissima. Fortasse alio loco, si volueris, plura de istâ; sed multâ nocte cum iam somniculosus sim, timeo, ne, si de istâ excetrâ narravero, postea non dormiam nisi malis somniis suppressus. Vale semper, mi care Radulfe, et perge mihi favere. **Medullitus Leo Latinus.**

d.13. m.Apr. a.2023 h.22:20

Radulfus Leoni Latini s.

Carissime Leo Latine, Nihil me dicas, precor, de domina *Ursula*: iam politici non parvam vitae nostrae partem a nobis auferunt. Gaudeo semper tuis responsionibus. **Vale, Radulfus**

ALEXANDER HIPPOMYLIUS

d.07. m.Mart. a.2023 um 10:37

Alexander gratus tibi/vobis salutem dicit!

Tua Epistula Leonina CCLXXI non solum virtutem ostendit, qua propriam mentem potiaris, sed etiam magni momenti est, cum lectores eâdem certiores fiant de vaccinatione mRNA (i.e. nuntii acidi ribonucleinici). Exoptandum est, ut haec fortitudo salvet vitas plurimas. **Vereor ne periculum ad finem suum nondum pervenerit. Consilia proximas pandemias efficiendi iam valde concreta sunt, quam ob causam verisimile est nos respecturos esse SEERS-25 post Covid-19.** Hic est nexus ad textum de hac re imminente: ... - Doleo, quod haec in Latinum convertere non audeo, sed hominibus intellegendum est periculum imminere. Optime valeas! **Alexander Hippomylius.** PS: Subiunxi appendicem, cui inest ephemeris, in qua etiam textus invenitur (pp. 18/19).

d.14. m.Apr. a.2023 um 14:08

Leo Latinus Alexandro Hippomylio sal.pl. s.v.b.e.e.v.

Care Alexander, sêro invênî epistolium tuum, sed proximâ in Epistolâ Leoninâ divulgabo. Cura ut valeas quam optimê. Medullitus te salutat **Leo Latinus**

MAXIMILIANUS PULCHER MYSTAGOGUS AUGUSTANUS

d.26. m.Febr. a.2023 h.17.15

Maximilianus Nicolao suo salutem mittit.

Certe maxime laudandus es, qui hoc tempore a litteris Latinis tam averso rem nostram Latinam magnopere provehas. Et id semper faciam tui et Latinitatis causa libenter.

Superiore anno tres monstrationes exhibui et Augustam Vindelicum urbem lingua Latina ostendi. Ex quibus circumductionibus magnam voluptatem percepi. Itaque hoc anno 2023 incepta persequi volo. Huius rei relationem hisce litteris subieci, in qua, quid expertus sim, viris feminisque Latinum sermonem amantibus, ut suades, indico. Eam relationem si per Leonem Latinum tuum publicabis, spero fore, ut periegeses magis etiam commendentur. Pro hac divulgatione magnas ago gratias tibi. Epistula consueto sit fine: **Vale!**

d.26. m.Febr. a.2023 um 23:45

Maximilianus Nicolaum suum iterum salutat.

Ei mihi! Relationem meam tibi adiunxeram, sed per erratum meum cum characteribus diacriticis meis. Talia signa in privatum usum meum adhibeo. Hoc mihi ignosce, quaeso, Nicolae! Hoc tempore ad te eandem relationem meam mitto, quae ab omni signo diacritico emundata sit. Scilicet hanc relationem purgatam publices, quaeso. **Iterum vale multum!**

d.14. m.Apr. a.2023 um 14:41

Nicolaus Leo Latinus Maximiliano Pulchro suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Ignosce, care mystagoge, quod modo demum invēni epistolium tuum eidemque appendicem subiunctam. Quod publicabo in Epistulâ Leoninâ proximâ (274). Dilatum non est ablatum. Vale semper pancraticê, **Nicolaus**.

d.14. m.Apr. a.2023 h. 12:23:07

Nicolaus Maximiliano Mystagogo Augustano sal.pl.dic.s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur, care Maximiliane? Esne studiis humanissimis et Latinissimis deditus an animus tuus rebus est occupatus profanis et ab Helicone remotissimis? Iamne munere mystagogi fungens multis philotheoris thesauros historiae Augustanae verbis usus Latinissimis monstravisti et explicavisti? - Spero te accepisse Epistulas Leoninas 272 et 273, quarum prior continet cum cetera tum symbolas Glossarii mei Orbis Picti Hexaglotti, posterior multa ova et lepōres Paschales.

Si acceperis, scribas mihi, quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticê vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutat Nicolaus.

d.16. m.Apr. a.2023 h.21:20

Salve, Nicolae!

Fortasse etiam hoc epistolium non vidisti, quod ante paucos dies ad te dedi.

Maximilianus Nicolao salutem plurimam dicit.

Ego et *Christianus Kupfer* et fortasse alii quoque Latinistae *die 21 mensis Aprilis hora quarta post meridiem in Forum Mariae Monacense ad columnam Marianam* conveniemus, ut confabulemur et sermonem conferamus. Fortasse ad iucundam confabulationem nostram in cauponam aliquam aut in thermopolium aliquod transibimus. Visne supervenire atque gregiculo nostro aggregari? Valde gaudebo, cum te comminus salutare poterō! **Interim vale multum!**

d.16. m.Apr. a.2023 h.22:53

Nicolaus Maximiliano suo mystagogo Augustano sal.pl.dic.

Summas gratias pro invitatione tuâ perhumanâ. Libenter vobiscum ad *Columnam Marianam Monacensem* Latinê colloquerer, sed doleo, quod die 21. mihi nulla occasio erit Monacum vehendi.

Quod est dilatum non est ablatum. Certê erit aliquando quaedam occasiuncula. Utinam habeatis confabulationes subcolumnares iucundissimas. Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te vosque salutat **Nicolaus Leo Latinus**

PAULUS KANGISER CHILIANUS IACOBOPOLITANUS

d.13 m.Apr. a.2023 h.06:32

Nicolaus Paulo suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Care Paule, quid de te? Iam diu nihil a te accepi. Rectêne vales? Accepistine Epistulas Leoninas 272 et 273? Iamne inspexistis? Scribas mihi, ut sciam, quomodo vales. Vale semper, medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.14.m.Apr. a.2023 h.18:46

Paulus Nicolao s.p.d.

Gratias tibi ago quod de valetudine mea habes curam. Nunc quidem valeo sed multis muneribus districtus; agitur de muneribus familiaribus, de examinibus medicis de filia deque nepote, quem ad scholam vehere debeo. Nondum legi EL 272 et 274; mox faciam et quam primum possem symbolam tibi mittam de vi et praedonibus qui his diebus per orbem terrarum pullulant. Cura ut vales et perge epistulas leoninas edere.

d.14.m.Apr. a.2023 h.20:39

NICOLAUS PAULO SUO IACOBOPOLITANO SAL. PL.

Summas gratias, care Paule, quod tandem aliquid scribis; nunc scio te bene valere nihilque Latinè scribere potuisse honestis officiis familiaribus occupatum. Utinam optimè tibi succedant opera tua privata atque domestica. De litteris tuis Latinis aut doctis aut cottidianis semper gaudebo. Proximâ in Epistulâ Leoninâ invenies homiliam *Petri Hahne*, qui loquitur de verbis *Petri Apostoli*, quae sunt "*Domine, ad quem ibimus?*" (Iohannes 6,68) Hanc homiliam in lucem êdere velim EL 274 die Dominicâ. Suspenso animo exspecto, quid tu sensurus sis de hac homiliâ. Si acceperis, perlegas, et scribas, quaeso, quaecumque tibi in buccam venerint. Vale pancraticê, mi care Paule, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **NICOLAUS LEO LATINUS**

URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS

d.24. m.Febr. a.2023 h.20:39

Urbanus Leoni Latino salutem.

Verba, quæ novasti in recentissima Epistula Leonina (in ducentesima septuagesima prima), mihi placuerunt. Nævium sequens, scænomanici (an scænomani?) verbum præfero ceteris duobus, quæ tamen puto non esse omnino reicienda propter sermonis Latini varietatem. Hac de re, confiteor me nescire quo nomine Lusitano scænomanicus appelletur. Aliquando sciam.

Etiam placet de longiore Epistolæ argumento tractare: ut legi in quodam diurnario Fodinensi, vulgo dicto «Estado de Minas», apud editionem diei 16 mensis Februarii, Lusitani, ut videtur, invenerunt elephantum maximum, ita ut, excepto Influentiæ Hispanicæ tempore, id est centum abhinc annis, numquam alias talem tantum quem invenerint. Consideratis enim his tribus superioribus annis, in singulos menses desiderata sunt Lusitanorum dena milia, iterum dico: in singulos menses! Elefantus, quem invenerunt, tantus fuit, ut Minister de Valetudine Lusitanus, inito cum Organizatione Mundiali convento, sociatis laboribus rem diligenter investigare cogeretur. Ad tantam cædem explicandam, tres causas attulit: tot Lusitani aut pestilentia covidiana, aut nimia populi vetustate, aut mutationibus climaticis perierint. Duabus prioribus causis prorsus repudiatis, Minister tertiam elegit, nam, secundum peritos, æstas in singulos annos calidior evaderet. Numquid tertia exitiorum causa, quam attulerunt, illuc respicit, ut celat elephantum, quem non admittunt creuisse? - Tandem mitto oratiunculam, quam Idibus habui Februariis. Si res placuerit, eam poteris in aliquam Epistolam includere. Vale tu, valeantque tui.

Dedi Brasiliopoli, Veneris die, VI Calendas Martias, anno MMXXIII. Urbanus

d.26. m.Mart. a.2023 h.21:50

Nicolaus Urbano suo carissimo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Ignosce, mi Urbanissime, quod tibi tam sêro respondeo. Epistula tua gratissima diutulê - proh dolor - latuit in computatro meo. Sed modo nocturnis laboribus deditus repperi, et repperi tua verba educatoribus facta et lepidissimè scripta, quae mox publicabo. - Interdum lego de patriâ tuâ in "*Septimanâ mundanâ*", i.e. Hebdomadali Helvetico criticê atque sincerê scripto (o rarum cimelium!), quod êditur Turici. Vidi etiam faciem illius iudicis mephistophelici, qui nimium potestatis sibi arripuisse videtur. Prior praeses vester videtur diutius versari in Terrâ Marianâ. Sed tempora sunt difficilia nunc ubique terrarum. Noster cancellariolus nihil est nisi caniculus *Iosephuli somniculosi* et oboedienter gratias illi agit, quod venam nostram vitalem energophoram submarinam curavit ab urinatoribus displodendam. Iste virunculus iuravit se consulturum esse saluti nostrae. O quanta infamia. Sed verè potentes non sunt ii, qui officialiter munera gerunt. Verè potentes stant post siparia et ducunt filis invisibilibus neurospasta, quae dicuntur "*politici*". - Haec raptim palpebris gravibus, mox plura tibi scribam. Tu autem unâ cum tuis vale semper pancraticê. Opprobriis obdura, mi care Urbane, tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

d.13. m.Apr. a.2023 h.08:33

Nicolaus Leo Latinus Urbano Ferrario Brasiliopolitano suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur, mi Urbane carissime? Cum diu nihil a te acceperim scriptum, aliquatenus sollicitor: Acceperistine epistulam d.27. m.Mart. tibi missam? - Acceperistine Epistulas Leoninas 272 et 273, quarum prior continet cum cetera tum symbolas Glossarii Orbis Picti Hexaglotti, posterior multa ova et lepōres Paschales? Si hanc epistulam acceperis, scribas mihi, ut sciam quomodo valeas, o Latinitatis Brasiliensis propugnator fortissime! Ceterum, si vacabis, scribe quidquid tibi de Leoninis meis in buccam venerit scribendum. Utinam valeas pancraticê. Medullitus te salutat
Nicolaus Leo Latinus.

d.15. m.Apr. a.2023 h.15.44

Urbanus Leoni Latino salutem. S.B.V.B.E.E.V.

Tres illas teneo manibus epistulas, quas nuper misisti. Itinere tamen impediante, earum nulli potui apte respondere. - Mirabilis est argumentorum copia, quæ deprehenditur in epistulis 272 et 273. Mihi admodum placuerunt symbolæ, quas ex Glossario Orbis Picti Hexaglotto exhibuisti. Cuius exemplar, cum in lucem prodierit, quia mihi utilissimum fore videtur, scias me aliquando empturum. - Atqui, ineunte mense Maio, in illo Instituto Magistratus Iuris Canonici, ubi linguam Latinam trado, convenient, ut spero, alii linguæ Latinæ præceptores, quibus iam pridem suadere volo, ut certis temporibus de quocumque argumento volunt, Latine scribant. Utinam illi sibi, et rector bibliothecæ comparent exemplaria. Nemo profecto potest scribere (aut loqui) de re, nisi apta verba, quibus rem ipsam valeat exprimere, habeat in promptu. - Consilium ergo et propositum, quod tibi imposuisti, feliciter perficiatur. Ad quod exsequendum, vale.

Dedi Brasiliopoli, Saturni die, XVII Calendas Maias, anno MMXXIII. Urbanus

d.15. m.Apr. a.2023 h.20:51

Urbanus Leoni Latino salutem.

Iudex ille, quem descripsisti ut mephistophelicum, et quem puto mephitim redolere plane fetidam putridamque, ille quidem, antequam in Tribunali sederet Supremo, ubi modo sedet, nunquam antea iudicis munere functus erat, sed advocatus fuit cuiusdam factionis nefariæ, noxia illicitaque medicamenta commercantis, quam Lusitane dicimus PCC (id est, *Primeiro Comando da Capital*). Quæ litteræ Latine sonant «Summum Principatum Urbis Capitalis», nempe urbis *Paulopolis*, ubi factio sedem suam iam pridem collocaverat. Vir iste, una cum aliis multis, conspiravit ut præsidem tunc regnantem amoveret ab officio per electionem vitiatam. Et adeptus est, quod cupiebat. Nam prioris præsidis loco *Lulam* suffecit. - Nunc vero patria nostra populusque noster, una ex parte a politicis illegitimis, ex altera a scelestis factionibus premitur et suffocatur. Animo cogita quam difficilis, quam instabilis, quam perniciosa sit condicio et agricultorum et eorum, qui Civitatem quæstibus et negotiationibus sustinent. Quem rerum statum cum considero, non possum non inclinare mentem in illud libertariorum propositum, secundum quod sive privati sive sociati, oportet vitam sic ducamus extra Civitatem hanc tyrannicam et universalem, quæ iam cernitur. - Nihilominus credo res non esse omnino perditas. Quapropter, ut dicis, non cedo malis, sed iis audenter quidem, non tamen aperte, obsto. Tu quoque fortiter suaviterque profice.

Dedi Brasiliopoli, Saturni die, XVII Calendas Maias, anno MMXXIII. Urbanus

d.16. m.Apr. a.2023 h.02:33

LEO LATINUS URBANO FERRARIO BRASILIANO FELICITER IN MUNDUM LATINUM REVERSO SAL.PL.DIC.

Unâ epistula, sodalis carissime, Leoninas meas recenses, alterâ statum rerum patriæ tuæ adumbras: Pro utrâque epistulâ, habeas gratias summas! Ut verum confitear, aliquatenus sollicitatus eram de fortunâ tuâ epistulam priorem recordatus. Nunc a te certior facta tranquilla est animula vagula blandula. Ceterum gaudeo, quod cordi tibi sunt studia mea lexicographica. D.29. huius mensis (die Saturni, 17h = h.quinta p.m.) acroasin faciam interretialem (ZOOM) de Orbe Picto Hexaglotto

coram Academia Latinitati Fovendae; si ab Academiae secretario accepero numerum et inscriptionem electronicam conferentiae zoomianae participandae, tibi statim mittam, ut ipse possis particeps fieri - cephalophono et camerâ et microphono instructus - quid sentis? Poteritne fieri, ut participes? --- Cras mittam tibi EL 274: inest homilia *Petri Hahne* de verbis Sancti Petri, quae sunt: "*Domine, ad quem ibimus?*" (IOHANNES, 6,68). *Petrus Hahne* est valdê eloquens, spero tibi placituram esse versionem meam Latinam. Suspenso animo exspecto, quid sensurus sis de homiliâ Hahnianâ. Haec hactenus multâ nocte tibi scripsi, mox brevissimê; certê mox plura. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.16. m.Apr. a.2023 h.16:32

Urbanus Leoni Latino salutem.

Libenter audiam verba, quæ facturus sis exeunte mense Aprili, ad horam 17. Estne hora hæc Berolinensis? Solis die, XVI Calendas Maias. **Urbanus**

d.16. m.Apr. a.2023 h.16:55

LEO LATINUS URBANO SUO SAL.PL.

En habes exemplum prius, unde apparet, quomodo *Nico deMico* soleat annuntiare conferentiam zoomianam. Vides indicari horam quintam p.m. Amstelodamensem, Berolinensem, Romanam, Holmiensem, Viennensem. Si annuntiationem acroasis meae zoomianae accepero, statim tibi mittam. Haec hactenus brevissimê. Utinam tibi contingat, ut particeps fias conferentiae et auribus et oculis et ore. Vale semper, medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

MARCUS CRISTINI BRIXIANUS

d.14. m.Apr. a.2023 h.01:30

Nicolaus Marco sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur, care Marce? Esne studiis humanissimis et Latinissimis deditus an animus tuus rebus est occupatus profanis et ab Helicone remotissimis? Nonne accepisti Epistulas Leoninas 272 et 273, quarum prior continet cum cetera tum symbolas Glossarii mei Orbis Picti Hexaglotti, posterior multa ova et lepores Paschales? Si acceperis, scribas mihi, quidquid tibi in buccam venerit. D.29. acroasi Zoomianâ referam de Orbe Picto Hexaglotto deque Glossario eiusdem. Erisne particeps? Pancraticê vale et perge mihi favere. **Medullitus te salutat Nicolaus**.

d.16. m.Apr. a.2023 h.17:20

Marcus Nicolao optimo s.p.d.

magna cum laetitia, care sodalis, Epistulas Leoninas accepi et symbolas - praesertim illas de lepore Paschali - libentissimo animo legi. Anno proximo praeterito cum in partibus essem Tubingensibus, miratus sum arbores nonnullas ovis multicoloribus ante Pascha ornatas esse. Mos enim hic fere ignotus est in Italia, ubi arbores (abietes praesertim) tempore tantum Natalicio lucibus globisve decorantur. Ante annos nonnullos lepus quoque Paschalis pueris Italis incognitus erat (ego exempli gratia de eo in fabulis tantum ab auctoribus Boreoamericanis vel Anglis scriptis legeram), nunc autem lepusculus ille parvulos Ausonios pellexit, faventibus et pelliculis cinematographicis imagunculisque Disneyanis et narrationibus interretialibus. Cum de his deque aliis moribus nuper acceptis cogitem (e.g. simulationes puta, quae ad *Halloween* pertinet), cumque mentem vertam ad res maioris momenti, quae in academia his diebus libentissime agitantur, persuasum habeo non solum Italiam sed etiam alias nationes Hesperias quoad cultum civilem et mores pedetemptim colonias Civitatum Foederatarum factas esse. Nihil novi sub sole, cum imperia et antica et moderna saepe hac ratione se gesserint, sed cavendum est ne decursu temporis sermones quoque nostros amittamus grassante imperio Anglicae linguae... Die 29 libenter acroasim tuam Zoomianam audiam, si nihil inciderit quod impediatur. **Optime vale.**

Nicolaus Marco suo optimo sal.pl.dic.

Gratias plurimas pro litteris tuis, quibus loqueris de moribus Paschalibus ovorum leporumque. Nesciveram Italos leporem Paschalem tam sero demum cognovisse. Sed difficile est inventu, quaenam ratio originaliter intercesserit inter leporem et Festum Paschatis. *Pinchas Lapide* sentit interpretatione textûs Hebraici parum accuratâ *choerogryllum* palaestinensem confusum esse cum lepöre vel cuniculo. VULGATA, Liber Proverbiorum 30,26: *Lepusculus plebs invalida quae conlocat in petra cubile suum*. Quam sententiam spectasse ad choerogryllos, non ad lepöres. At ineptissima est idea lepöris vel cuniculi ova parientis. Tales fabellae tantummodo narrabantur infantulis urbanis; nam infantuli rurales lepöres melius noverant quam ut rem tam absurdam crederent. Quid censes, optime Marce? Mox mittam tibi Epistulam Leoninam 274, cui inest homilia *Petri Hahne*, quae spectat ad verba Iesu, q.s.: *Domine, ad quem ibimus?* (Iohannes 6, 68). Animo suspenso exspecto, quid de hac homiliâ sensurus sis. Vale semper et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

THOMAS IHNKEN COLONIENSIS GREGIS TORUNENSIS PARTICEPS

d.13. m.Apr. a.2023, h.14:44

Nicolaus Thomae sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Spero te accepisse Epistulas meas Leoninas 272 et 273, quarum prior continet cum cetera tum symbolas Glossarii mei Orbis Picti Hexagloti, posterior multa ova et lepöres Paschales. Scribisne interdum fabulas aut commentationes Latinas? Si quid habes divulgandum, libenter publicabo in Epistulis Leoninis. Si vacabis, scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. Ego iam compluries scripsi Gregi Toruniensi, sed pro dolor litterae meae non sunt receptae (quamquam iam pridem nomen dederam participando). Vale pancriticê. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.16. m.Apr. a.2023 h.19:03

Thomas Leoni sal. pl. d.

Gratias ago pro tuis litteris. Tuas Epistulas Leoninas ego semper bene accipio, sed deest – eheu - mihi saepe tempus eas integras perlegendi. Narrationes doctas novissimae epistulae de ovis, ovibus, leporibus Paschalibus autem cum voluptate legi. Ipse ego pauca scribo et numquam fabulas. Gregis Torunensis sum particeps inde ab initio, id est ab anno 1996. Utitur computatrum servitorium Torunense quodam programme "Anti-Spam" sive Cerbero atroci, qui dormit plerumque, sed nonnumquam furit et omnia fere reicit. Etiam mearum epistularum ille multas iam remisit. Cave istum canem! Si permanet ista difficultas, auxilium pete a Gregis moderatore *Eduardo Casey* (eminmn@usinternet.com). Doleo quod nihil nunc habeo quod possis publicare. Sed in memoria tenebo tuam petitionem. **Valere te iubet Thomas Coloniensis**. P. S. Habito in colonia Romana CCAA, quae vulgo dicitur Colonia, Theodisce *Köln*, ab incolis indigenis *Kölle*.

d.16. m.Apr. a.2023 h.22.32

Leo Thomae s.

Multas gratias tibi ago pro responso. A te certior factus cavebo Cerberum canem infernalem, qui epistolia mea devoravit. Care Thoma Coloniensis, fac ut valeas quam optimê. **Nicolaus Leo Latinus**

VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS

d.4. m.Apr. a.2023 h.14:03

Nicolaus Victorio suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur, sodalis carissime? Iam diu nihil accepi a te scriptum. Accepistine iam Epistulam Leoninam 272? Multa insunt, fortasse nonnulla sapient palato tuo eruditissimo. Utinam saltim aliquatenus reconvalueris! Sive melius sive peius te habes: et gaudio et solacio tibi sit epistoliis Latinis animum effundere amico. Iam aliquoties scripsi Circulo Toruniano: sed neque epistolium distributum est neque accepi responsum. Scisne, quomodo hoc fiat? Suspisor illum *Eduardum* curare, ne epistolia mea legi possint a sodalibus. Eidem toties iam misi *Epistulas Leoninas*. Numquam rescripsit, ne verbum quidem. Qui videtur mihi unus ex illis esse, qui nolint in eodem sterquilinio cantare gallos duos. Estne ita? An nimium suspiciosus sum? Scribas mihi quaecumque tibi in buccam venerint. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.05. m.Apr. a.2023 h.14:59

Victorius Nicolao, strenuo Latinitatis vivae propugnatori, s. p. d.

Epistulam Leoninam numero 272 signatam accepi, sed nondum totam legi, quia multis sum districtus occupationibus ac valetudine parum bona fruor. Si quid autem mihi "in buccam venerit", tibi procul dubio scribam. - Cur epistolium tuum a 'Circulo Toruniano' haud distributum sit, prorsus non intellego. Esne autem recta inscriptione electronica usus? Neque scire valeo cur ab *Eduardo Casey* nullum responsum acceperis. Is enim respondere solet, etsi non semper congruum in modum (saltem mihi). Fieri etiam potest ut *Eduardus* tibi non responderit, quia aliter occasionem praeuisset disceptandi; id quod is omnimodo vitare contendit. Nuper ex. gr. in Grege disputatio orta est de "*progressu hominum morali*": haud pauci sodales in agona descenderunt quamquam - ut par est - eo de argumento non idem sentiebant. Quid tunc *Eduardus*, quem "callidissimum" philologa quaedam Hispana eademque mulier perspicacissima olim appellaverat? Ex improvise hic "owner" Minnesotanus longam symbolam e nescio quo *Francisci Baconi* scripto depromptam misit, quaerens quid de ea symbola censueremus; statim disputatio, quae de "*progressu morali*" erat, suffocata est. Nil aliud addere valeo, mi Nicolae, nisi *Eduardi* inscriptionem electronicam hanc: # "E.C." <eminmn@usinternet.com> **Optime valeas.**

d.5. m.Apr. a.2023 h.15:20

Nicolaus Victorio s.

Gratias plurimas, mi care Victori, quod mihi inscriptionem *Eduardi* attulisti. Quod attinet ad Leoninam recensendam, properato non opus est; festina lentê. Praeparo Leoninam Paschalem, cui multa inerunt leporaria. Ut exemplum afferam: Scisne, quare lepores referantur ad Festum Paschale? Quanam ratio intercedit inter lepidas bestiolas auritas et Festum resurrectionis Christi? Invêni quandam explicationem apud *Pincham Lapide* Iudaeum omnium linguarum bibliae doctissimum. Novistine eius opera? Vale semper pancreaticê, haec breviter, mox certê plura. Medullitus, **Nicolaus Leo Latinus.**

d.06. m.Apr. a.2023 h.10:25

Victorius Nicolao suo s. p. d.

De rebus, quarum mentionem fecisti, nihil scio. Quare in antecessum plurimas gratias tibi ago si eas res narraveris. Mihi admodum seni ignoscas, quaeso, quod heri sum oblitus referre tibi hoc: alter "owner" 'Gregis Latine loquentium' est compatriota quidam tuus, cui praenomen et nomen: *Hermann Gottschewski* (sed ipse 'Agricola' appellari vult). Eius inscriptio electronica: hgottschewski@gmail.com. *Agricola* in urbe *Tokio* vitam degit, mulierem Iaponidem uxorem duxit, quadam in illius urbis universitate musicam docet. Artis metricae peritissimus est. Raro autem in

Grege scribit. Quo de viro, quem anno 2009 in conventu Ratisbonensi conveneram, plura nescio.
Optime valeas, mi Nicolae.

d.06. m.Apr. a.2023 h.11.03

Nicolaus Victorio s.

Gratias tibi ago, mi care Victori, quod *Hermanni Iaponiensis* mihi indicasti inscriptionem cursualem. Spero fieri posse, ut proximam Leoninam perficiam usque ad Festum Paschatis. Tum statim tibi mittam. Utinam dies festos degas pacificê et tranquillê et recreabiliter. Cura ut valeas quam optimê, medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

d.13. m.Apr. a.2023 h.13:42

Nicolaus Victorio suo s. s.v.b.e.e.v.

Utinam dies Paschales degeris sat recreabiliter! Liceat te interrogare, num his diebus aut septimanis aliquid acceperis a *Paulo Kangiser* sodali nostro Chiliano historicis rebus dedito. Miror quod equidem iam diu nihil ab eo accepi, qui alioquin saepe soleat scribere. Haec hactenus, mox fortasse, si volueris, plura tibi scribam. Vale quam optimê, mi care amice. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

d.16. m.Apr. a.2023 h.09:43

Victorius Nicolao, optimo viro, sal. plur. dicit.

Nisi memoria me fallit, plerique menses iam elapsi sunt, ex quo ne epistolium quidem a *Paulo Kangiser* missum legi. Quo de viri illius silentio doleo et ego, mi Nicolae, quia etsi non crebrius scribere (in 'Grege Latine loquentium') solebat Paulus, is tamen semper acutas proferebat sententias, quarum memoratu dignissimam puto hanc (quam e tabulario seu archivo privato meo exscribo): «Latinitas colenda est eadem de causa, qua historia colitur; si historia apud viros doctos adhuc valet, idcirco viget Latinitas; si historia non valet, vae nobis!» (cui quidem sententiae die 14 Ian. 2005 a *Paulo Kangiser* scriptae equidem toto animo accedo atque adsentior). - Fortasse de eo viro aliquid scit *Eduardus Casey*, Gregis «owner» idemque de reperiendis cuiusvis generis nuntiis peritissimus atque unicus possessor, nisi fallor, omnium inscriptionum electronicarum, quibus omnes Gregis participes utuntur. Alia tibi respondere, mi Nicolae, nescio. **Valeas optime.**

d.16. m.Apr. a.2023 h.12.14

Nicolaus Victorio sal.pl.

Gratias plurimas, optime Victori, pro responso tuo! Interim iam accepi litteras a Paulo scriptas (quas hodie legere poteris in EL novissimâ). Bene se habet, sed officiis domesticis inhibitus erat, ne scriberet Latinê. Haec brevissimê, mox accipies EL 274. Medullitus **Nicolaus Leo Latinus.**

MAURUS PISINI POETA LAUREATUS

d.23. m.Mart. a.2023 h.18.33

Maurus Nicolao s. p. d.

Postquam *Epistulas Leoninas* novissimas, mi Nicolae, a te libentissime accepi et omnia quae ibidem inerant accurate perlegi, plurimis delectatus argumentis, hos versus concinnavi quos tibi edendos trado. Te quam maxime valere exopto.

d.17. m.Apr. a.2023 h.08.13

Maurus Nicolao s. p. d.

Hac exeunte hebdomade, carissime, cum labores mei (quod fore valde confido) remissiores fient, tibi fusius scribam. Interea, parce mi propter moram meque perge diligere. Quam maxime valeas.

d.17. m.Apr. a.2023 h.08:53

Nicolaus Mauro s.

Brevibus quoque nuntiis, care Maure, me laetificas. Gratias tibi ago, quod me certiolem facis te nondum ad plures abiisse. Ergo pergo te diligere et patienter exspecto epistulam tuam fusiolem. Vale pancraticê, mi Maure, et perge mihi favere. Medullitus te saluto **Nicolaus Leo Latinus.**

NAEVIUS SARTORIUS

d.28. m.Mart. a.2023 h.22:39

Viertel nach Acht – 28. März 2023 | Gunter Frank, Hausarzt und Bestsellerautor - Johannes Arlt, SPD-MdB - Volker Boehme-Neßler, Rechtswissenschaftler - Zara Riffler, BILD-Politik-Redakteurin Moderatorin und Gastgeberin: Patricia Platiel

Nicolaus Naevio suo sal.pl.dic.

Frankius - peritus et eloquens, qualem scimus. - **Boehme-Neßler** mihi potius aërem calidum fabricat - nihil nisi locos communes - doctus videri vult, sed neminem laedere vult, ne ipse laedatur. - **Arlt** - benevolens, sed imperitus et nasutulus. - **Zara Riffler**: "wenn wir nicht aufpassen, den Leuten nicht mehr zuhören, dann wird's gefährlich - wie wir ja bei Corona gesehen haben, mit den Verschwörungstheoretikern..." Praeter Frankium omnes volunt politicos defendere - dicunt eos multa falso fecisse, sed semper optimo fine - "scelus"??? Oho, nequaquam!! Qui politicus unquam scelus commisit???- suntne reverâ tam simplices, ut hoc credant??? **Vale semper, NIC.**

d.29. m.Mart. a.2023 h.22:39

Naevius Nicolao s.

Tecum de ea disputatione ex magna parte consentio, sed moneo verbum "*Verbrechen*" significare res complures. Est prima: significatio moralis quaedam. Est secunda: terminus technicus legalis (iuris poenalis) "*Verbrechen*" https://www.gesetze-im-internet.de/stgb/_12.html Homicidium per negligentiam (*Fahrlässige Tötung*) est solum "*Vergehen*". - Ceterum, ne nimis speraveris punitionem illorum politicorum probantes vaccinationem et "*lockdowns*"; scilicet difficillimum, ne dicam impossibile, erit eos accusare et punire. Iniuria quaedam a legislatore effecta causa incertissima est. Etiam scis deputatos habere immunitatem legalem. Fortasse procuratores publici accusabunt magistratus nonnullos istius EMA <https://www.ema.europa.eu/en> et alios; sed audeo praedicere eos non accusaturos esse magistratus de homicidio (*per negligentiam*). **Vale, N.**

d.29.m.Mart.a.2023 h.21:16

Nicolaus Naevio s.

QUID TIBI IURIS PERITO VIDETUR?

<https://theplattform.net/de/kanal/paulbrandenburg-com/nacktes-niveau/michael-ballwegs-pflichtverteidiger-da-wird-nicht-ordentlich-gearbeitet> Michael Ballwegs Pflichtverteidiger: „Da wird nicht ordentlich gearbeitet“

Vale, NIC.

d.29.m.Mart.a.2023 h.21:53

Naevius Nicolao s.

Difficile dictu - nescio argumenta (*Beweismittel*) quae sint procuratoribus. Cognitio remota (*Ferndiagnose*) sincera non est. Res, quarum *Ballwegius* accusatur, difficiles sunt; multae solutiones pecuniae examinari debentur. Tamen illa causa mihi mira esse videtur - cur tam multos menses in custodia esse debeat, non liquet. Ceterum, excuses menda mea praevia. Eo tempore fatigatus sum. Ille Frankius non educatus, sed scilicet **doctus** est; praeterea rectum fuisset. Ceterum, ne nimis speraveris punitionem illorum politicorum probantium vaccinationem et "*lockdowns*". **Vale semper VN**

d.30. m.Mart. a.2023 h.08:00

Naevius Nicolao s.

Modo audivi, Ille *Christ* advocatus sincerus esse videtur; denuo: argumenta nescio, accusatio nova mihi non est. Si omnia recta sunt, quae *Christ* refert, si eius omnes conclusiones rectae sunt, probabile est *Ballwegium* fraude absolvi debet. Praeterea mihi placet quod *Christ* dixit de pseudo-excusationibus politicorum. Semel loquitur de culpa ("*Landtage*" – *comitia provincialia*) - imprimis est culpa moralis, non legalis. Iam explicavi inuriam et culpam "*legislatoris*" esse causam difficilem, quam vix explanare verbis brevibus possum. Legas haec, videbis aspectum unum ex multis:

<https://www.juraexamen.info/bgh-der-staat-haftet-nicht-fuer-schlechte-gesetze-neues-zur-amtshaftung-fuer-legislatives-unrecht/> Quod attinet ad actiones in hac institutione (<https://www.coe.int/de/web/portal/gerichtshof-fur-menschenrechte>) dubito an sit via recta. Id iudicium iam saepe iudicia mira fecit. **Vale semper VN**

d.03. m.Apr. a.2023 h.16:32

Naevius Nicolao s.

<https://www.youtube.com/watch?v=fY4TpLsExUU> Scio te eum non diligere, sed is advocatus peritus esse videtur: https://www.youtube.com/watch?v=OUeS2K_BG3A Explicationes iuridicas spectantes ad aspectus iuris poenalis (proceduralis) causae Ballwegianae non vituperare possum; explanat recte "*conatum fraudis*" et hoc quod dicitur damnum ("*Vermögensschaden*"); etiam de "*Zweckverfehlungslehre*" loquitur. Si te tempus non deficit, si tibi otium est, audias; mox animadvertas rem non tam simplicem manifestamque esse quam extrinsecus videtur. Multa facta nescimus; quod est in actis Ballwegianis etiam ignoro. Solum suspicari possum. Bene intellego Darium indignari de re illa, sed non peritus iuris (poenalis) est. Loquitur generaliter ("*pauschal*" - estne conversio aptior?) de rebus multis. **Cura ut valeas VN**

d.03.m.Apr.a.2023 h.23:13

Nicolaus Naevio sal.pl.

Care Naevi, iamne occasiuncula tibi fuit novissimam Epistulam Leoninam perlustrandi? Iamne legisti de *arsenico* deque *veneficiis*? De *Gesâ Gottfried* et *Annâ Zwanziger* veneficis efficacissimis? Babae, *Gesa* et *Anna* in disciplinâ veneficii stupendâ fuerunt industriâ! Tamen etiam istae veneficae navissimae longê superantur a duobus viris: *primo* a nefando illo Austriaco Germanorum duce omnium nocentissimo, *secundo* ab *Alberto Graeculo*: Quorum unus traditur veneno imbuisse sex miliones, alter (- ut ait medicus ille Helvetius -) decem miliones. *Anna* et *Gesa*, si efficaciam suam veneficam comparantur cum istis viris veneficis, non sunt delictrices verè sceleratae, sed nihil nisi - ut ita dicam - *deli(n)ctriculae moderatissimae. Ergo concludo saltem in re veneficâ mulieres a viris longê superari. Praestantia virorum venefica est omnino indubitabilis... Quid sentis? **Vale semper, NIC.**

d.04. m.Apr. a.2023 h.09:54

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, quaestiones et comparationes difficiles in variis rationibus. Est ratio ethici, est iuris poenalis, est anthropologiae vel psychologiae, est litterarum. Fortasse ratio litterarum simplicissima est; mihi videtur in fabulis criminalibus saepe feminas veneno necare victimas; viri solent necare pistolio, sclopeto. Semper putabam et adhuc puto veneficium rem muliebrem esse. Quod attinet ad anthropologiam proponere volo quaestionem hanc: Quid tibi facilius esse videtur? *Bombam* deicere ex aeroplano vel necare hominem *cultro*? Maioritas hominum - ut opinor - dicat facilius esse *bombam* deicere, quamquam apparet eam longe horribiliorem esse *cultro*. Sed actio ipsa deiciendi facilius est, quia abstracta est. Homo malum horribilissime sequens actionem facilem non percipit. Etiam est exemplum notorium eius aspectus: Quid dixit iste servus ducis Germanorum, iste grapheocrates, iste Dryander - de quo *Hannah Arendt* fecit illa verba clara de "*mali trivialitate*" (*Banalität des Bösen*) - : "*VI miliones est - est statistica.*" - De Ethica: Quid peius est? Quid est

inuria maior? Bestialiter necare hominem unum cultro vel necare multos technica (biologica, chemnica) mortifera? Nescio, an solus numerus aptum Tertium Comparationis sit. Ceterum, de numero inoculationis coronariae peritorum eo tempore adhuc paulum scimus, solum speculari possumus, quamquam signa horribilia indicant eum magnum esse. - Ius poenale: Illa *Gesa* et *Anna* notoriae certe dolo malo egerunt, quia non ignoraverunt habere venenum mortiferum; Albertus Graeculus certe scivit eius sucum maxime nocentem esse (posse), sed - ut audeo suspicari - finis eius primus est augere lucrum, sed non necare homines. **Vale semper VN**

d.04. m.Apr. a.2023 h.15:38

Nicolaus Naevio sal.pl.

<https://www.planet-wissen.de/video-extreme-hitze-macht-aggressiv-100.html> Extreme Hitze macht aggressiv Planet Wissen. 27.03.2023. 04:14 Min.. Verfügbar bis 27.03.2028. WDR. Von Jessica Sander. Temperaturen, die über unserem Wohlfühlbereich liegen, haben nicht nur Auswirkungen auf unsere Produktivität, sondern auch auf unsere Stimmung. Studien aus den USA zeigen, dass ab einer gewissen Temperaturschwelle das Aggressionspotenzial deutlich steigt <https://www.pi-news.net/2023/04/wdr-beitrag-klimawandel-ist-an-gewalt-in-freibaedern-schuld/>.

2 gradibus Celsiusianis si calor augetur, unum homicidium fit additiciū. Hoc respiciendum est a iudicibus: si tempore facinoris tempestas fuit calida, scelera non tam severè punienda sunt quam tempestate frigidâ!!! Nunc tandem scio, quare immigratores illegales etiamsi scelera commiserunt gravissima, tamen a iudicibus nostris puniuntur aut non aut mitissimè: Iidem veniunt ex terris, ubi tempestas saepe est fervida... Hac te causâ naturaliter magis inclinatur in scelera committenda. Sed apud nos quoque propter clima carboneo dioxydato accumulato calefactum etiam etiamque plura scelera fiunt. Hoc est respiciendum: Scelera in dies plura patiēda nobis sunt, quia nimis multum carbonei dioxydati produximus. Ergo non licet lamentari: nos ipsi culpam contrahimus: nimis multum domos calefacimus, autocinetos vehimus, aeroplano volamus, navigiis navigamus, officinas industriales habemus, nimis multos boves habemus methanum pedentes - non licet nobis lamentari de numero scelerum - nos ipsissimi culpam contraximus... Scelera non rarescent nisi tandem redierimus in aetatem neolithicam: tum tandem vivemus carboneo-neutrales. Tandem! Pauperes sed felicissimi!!! QUID TIBI VIDETUR IURISCONSULTE SAGACISSIME??? **Vale semper, NIC.**

d.04. m.Apr. a.2023 h.17:32

Naevius Nicolao s.

Res clarissima est, o amice ironice, culpa nostra transiit modum... Conclusio tua rectissima est: Iudices damnantes reum respicere debent tempestatem - tempore facinoris et, ut dicere audeo, etiam tempestatem aetate iuventutis rei. Apparet eam habere momentum maximum ad inclinationem committendi scelera! **Vale, N.**

d.04. m.Apr. a.2023 h.20:29

Nicolaus Naevio sal.pl.

<https://www.youtube.com/watch?v=CwjS-7T8kA> Wohin treibt Europa? Oskar Lafontaine und Ulrike Guérot im Gespräch mit Markus J. Karsten

Ulricula multa scit et bona habet argumenta, sed interdum videtur esse quādam superbiolâ atque vanitatulâ paululum molestulâ. Nimis saepe commemorat se de hac aut de illâ re etiam librum scripsisse (quot scripsit? 100? an 1000?) etiamque orationem habuisse necnon hîc et ibi fuisse ideoque haec omnia melius scire quam omnes ceteros. Tamen ignosco ei, quia - si comparatur cum excetris illis prasinis - ingentis est scientiae et eloquentiae. - Quod attinet ad eius argumenta, mihi videtur nimis magni aestimare nimisque parvi eius corruptionem et potestatem arrogatam a democratiâ remotissimam. Ceterum laudo eius audaciam et fortitudinem, quibus passa est invectio coronariae et ucrainianae. *Oscarium* iam satis laudavi; etiam hac in emissionem optimè locutus est. Certè sperandum est et studendum, ut Europa fiat sui iuris, ne sit Americanis obnoxia ideoque cum Francogalliâ cooperetur. Fortasse Americanâ destructione gasiductûs Europaei intellegent illos non esse veros amicos Europae, sed competitores, qui semper prohibebunt, ne Russia et Europa, praesertim Germania, inter se cooperentur. Quid tibi videtur? **Vale, NIC.**

d.04. m.Apr. a.2023 h.21.59

Naevius Nicolao s.

Illa *Guérot* certe femina prudens est; sed semper nimis laudabat Unionem Europaeam; cur fecerit et faciat non intellego: Mea opinione illa EU est institutio suboptima; sunt nimis multi commissarii; est ingens - cives perturbans - copia institutionum et munerum; etiam ille EURO - pecunia quaedam artificialis - mihi videtur instituta esse multos annos praemature; praeterea δῆμος Europaeus non est - immo sunt multae nationes, multi δῆμοι. Ea EU studet fieri quaedam res publica supranationalis. Valde dubito an hoc inceptum bene eveniat. Crisim eius nunc observare possumus. Libenter fateor illam *Guérot* recte perspexisse politicam coronariam et nunc discriminari. <https://www.forschung-und-lehre.de/recht/kuendigung-von-ulrike-guerot-aufgeschoben-5525> Vale semper VN – P.S. Cur tibi displicet ille advocatus *Jun*? Argumenta tua solum ad hominem sunt - nihil ad rem audiivi. Nescio an is sit homo comis; sed nihil rêfert. Sed certe peritus iuris poenalis (proceduralis) est - longe aliter ac *Darius*.

d.04. m.Apr. a.2023 h.22:41

<https://unser-mitteuropa.com/ekd-vorsitzende-waffen-fuer-ukraine-sind-christliche-pflicht-der-naechstenliebe/>

EKD-Vorsitzende: „**Waffen für Ukraine sind christliche Pflicht der Nächstenliebe!**“

Nicolaus Naevio sal.pl.

CARITAS ARMATA = PERVERSIO NOTIONUM ORWELLIANA

Vale, NIC.

d.05. m.Apr. a.2023 h.07.54

Naevius Nicolao s.

INTOLERABILE - Isti Protestantes etiam dixerunt vaccinationem esse illam caritatem.

Vale, N.

d.04. m.Apr. a.2023 h.21:20

https://www.youtube.com/watch?v=OUeS2K_BG3A Ballweg der tragische Protagonist zu Unrecht in U-Haft? Einordnung der Empörung. <https://www.youtube.com/watch?v=rMuvPxDeTjo> So könnte Ballweg seine Freilassung erreichen

Nicolaus Naevio sal.pl.

Novistine istum rattum coreanoideum??? **Vale, NIC.**

d.4. m.Apr. a.2023 h.21:37

Naevius Nicolao s.

Tibi iam misi illum primum nexum interretialem; etiam iam scripsi tibi haec verba: "Scio te eum (scil: illum *Jun*) non diligere, sed is advocatus peritus esse videtur: https://www.youtube.com/watch?v=OUeS2K_BG3A Explicationes spectantes ad aspectus iuris poenalis (proceduralis) causae Ballwegianae non vituperare possum; explanat recte "conatum fraudis" et hoc quod dicitur damnum ("Vermögensschaden"); etiam de "Zweckverfehlungslehre" loquitur. Si te tempus non deficit, si tibi otium est, audias; mox animadvertas rem non tam simplicem manifestamque esse quam extrinsecus videtur. Multa facta nescimus; quod est in actis Ballwegianis etiam ignoro. Solum suspicari possum. - Bene intellego **Darium** indignari de re illa, sed non peritus iuris (poenalis) est. Loquitur generaliter ("*pauschal*" - estne conversio aptior?) de rebus multis. **Cura ut valeas VN**

d.04. m.Apr. a.2023 h.22:15

Nicolaus Naevio sal.pl.

Libenter puto eum ius poenale rectê novisse; est res ei professionalis. Sed iam nimis saepe ex eius verbis vultibusque cognovi eum generaliter non favere criticis coronariis cogitatoribusque transversalibus. Itaque suspicor eum potius esse rattum systematis pseudo-obiectivum. Scilicet tibi concedo me iuris prorsus imperitum esse neque eius cerebrum posse inspicere. Sed quodam "*sensu ventrali*" et experientiâ coreanâ decennali instructus audeo dubitare de istius patronuli sinceritate. Sed fortasse erro; nam homo sum et - ut ait Hieronymus - errare humanum est (sed inhumanum in

errore perseverare). Exspectemus, quid serus vesper vehat (aut dies irae); nam die irae discernentur hypocritae ab hominibus probis sincerisque. **Vale semper, NIC.**

d.5. m.Apr. a.2023 h.08:36

Naevius Nicolao s.

Certe, nonnumquam, ne dicam saepe, sensus ventralis rectus bonusque esse potest; etiam bene scis mores Coreanorum. Causam istius *Fuellmich* initio etiam sensu, tum ratione iudicavi; vidi signa manifesta narcisstae. Quod attinet ad illam actionem (*Fuellmich Drosten* in ius vocavit) semper opinabar et dicebam eam maxime ineptam esse. Scilicet etiam ei *Jun* licet sententiam dicere, etsi nobis displicet.

d.12. m.Apr. a.2023 h.11:45

Nicolaus Naevio suo s.

Quid fit? quid agitur? Accepistine Epistolam meam Leoninam Paschalem (EL 274)? Quomodo dies Paschales degisti? Visitavistine cum uxore filioque socrum socerumque? Nos uxor mea egoque hōc festo Paschali non iter fecimus in Saraviam patriam meam, ut solemus talibus diebus festis. Nam Clara (est uxoris nomen christianum) occupatissima erat organo variis in ecclesiis modulando, quia vices ei gerendae erant collegae organistae aegrotantis. Ego eam haud illibenter comitatus sum quadam curiositate atque desiderio spirituali affectus, quamquam, ut verum confitear, sum '*christianus submarinus*' (qualis a quodam parochio dicti sunt christiani qui in ecclesiâ non apparent nisi raro et subito (plerumque diebus Nataliciis et Paschalibus) - similiter ac naves submarinae non emergunt e fluctibus nisi raro et inexpectatae. Sed raritatem meam ecclesiasticam luculenter compensavi: trium enim missarum particeps fui, quarum omnis per minimum duas horas duravit. Babae, multum thuris est fumigatum, multum aquae benedictae dispersum, multae preces factae sunt ad magnam multitudinem Sanctorum directae, cantata sunt multa cantica - quorundam melodia mihi iucunda est: Quis ingentem illam Laudem Magni Dei maiestatis plenissimam (*Te Deum laudamus - Großer Gott, wir loben sich*) audit nisi horrore cum iucundissimo? - Cuius animus non admirabiliter afficitur cantico illo illustrissimo, quod litteris mandavit *Theodericus Bonhoeffer* in carcere funestissimo ("*Von guten Mächten treu und still umgeben*")? - Sed doleo, quod vox mea iunioribus annis parum instituta parumque exercita nunc senescens eo minus apta est ad cantica tam gravia et excelsa cantanda. Sed animadverti me hanc inopiam communicare cum missae participibus non paucis; interdum nemo cantavit nisi parochus et Clara mea supra in podio sedens organo modulans. Manifestum est utramque ecclesiam nostram - et Catholicam et Evangelico-Lutheranam - in dies Dominicas deminui et famâ et numero fidelium. Quod ego - quamvis prioribus annis quorundam clericorum hypocrisi vitiosâ repulsus reprobator copiosaeque *Historiae criminalis Christianitatis* a *Carolo Henrico Deschner* ingeniosê conscriptae lectitator studiosus - nunc aetate proventus vehementer doleo, cum sollicitus videam societatis nostrae ***vacuum spirituale***, quod exortum est fide traditâ christianâ depereunte, nunc compleri talibus fictionibus apocalypticis et pseudoscientificis, horrendis et absurdissimis necnon a naturâ hominis alienissimis, quales sunt *climatomania* et *genderismus* et *transhumanismus*, immo *satanismus*. Haec hactenus de materiâ tristissimâ et abundantiore, quam ut hōc loco tractem sat prolixê. Scribas mihi, care Naevi, quidquid de eâdem dicendum tibi in buccam venerit. Vale semper pancraticê. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

d.15. m.Apr. a.2023 h.19:04

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, summas gratias tibi ago pro epistula tua paschali. Ut recte suspicaris, profecto visitavimus soceros prope Tremoniam habitantes.

Magna ex parte tecum de tuis observationibus consentio. Fui ipse Catholicus, sed iuvenis ecclesiam reliqui. Legens libros illius *Deschner* (a te memorati), etiam libros nonnullorum philosophorum velut illius *Camus*, illius *Sartre* et illius *Naumburgiensis* Latini optime periti

Nietzsche, credere deum esse non iam poteram, non iam volebam. Sed etiam credere non possum deum non esse; ex loco solum logico atheismus etiam est opinio et religio quaedam – est opinio *dei non exstantis*. Quamobrem hominibus de deo et de deis quibuscumque nihil scientibus puto opinionem epistemologicam aptam esse *agnosticismum*.

Certe, ille locus philosophicus, illa opinio incerta homini cuicumque vix placeat; est opinio indifferentiae, est locus aporiae. Dicam aliis verbis: nihil sequitur ex ea opinione nisi istud horribile "*nescio*". Si homo credit Deum esse, Deum bonum esse, et Deum hominem velle vitam bonam agere, simplicissimum est instituere finem vitae, etiam moralitatem socialeam quandam; sed ex loci agnosticismi eam instituere longe difficilius est, ne dicam impossibile. Ancora philosophica in hoc loco tristi et solitario non est. Est etiam locus ex quo proficiscitur iste intolerabilis, inhumanus *relativismus*, quem recte dicis "vacuum spirituale" temporum nostrorum modernorum.

Sed quid illi philosophi velut *Camus*, *Sartre* et *Nietzsche* obtulerant in philosophia sua Deo (Christiano) mortuo? Quomodo illud vacuum spirituale complere conabantur? *Camus* homines ad seditionem, ad motum „*contra condicionem absurdam*“ adhortatus est; collega eius *Sartre* cum grano salis solum descripsit condicionem humanam, sane eloquenter. Dixit hominem ad libertatem damnatum esse. Et quid ille Naumburgiensis proposuit, qui composuit illam sententiam claram de „*homine delirante*“ (Der tolle Mensch <https://eag.jena.de/wp-content/uploads/2020/04/Der-tolle-Mensch-Nietzsche.pdf>)? Creavit ideam super-hominis, hominis optime condicionem suam absurdam tolerantis. Babae! Omnes eae ideae illorum virorum clarorum certe bene capere possunt homines, sed vitam suam agere secundum illas ideas vix possibile est. Sumus parvi; sumus anxii, sumus sollicitati; itaque desideramus redemptionem – vita nostra iterum iterumque docente nos homines paradysum in mundo nostro non creare posse (etsi homines semper conabantur, etiam his temporibus! Graeci verbum aptum habebant quo solebant describere eum animum: *hybrim!*)

Ceterum, quod attinet ad fidem Christianam, mihi semper videbatur paradoxum quoddam esse: Si est deus bonus benignusque et si idem deus est omnipotens, cur tam multa mala in mundo nostro sunt? Cur ille deus patitur homines tam horribiliter – bellis, morbis et ictibus aliis fortunae laborare? Hoc est, ut Christiani dicunt – et ut dicam ironice – revera secretum quoddam fidei eorum. Sed etiam libenter fateri volo – et ex loco agnosticismi fateri debeo – rationem meam parvam humanam vix aptam esse maiestatem dei cuiuscumque intellegere. **Philosophice te salutat VN**

d.15. m.Apr. a.2023 h.00.00

Nicolaus Naevio sal.pl.

Responso tuo, mi Naevi carissime, gravissimê affecisti animum meum; cum gaudeo de litteris tuis disertê scriptis in Epistulâ Leoninâ publicandis tum praecipuê obstupefactus sum deliberationibus tuis eruditione philosophicâ et studio morum bonorum plenis. Quâ es subtilitate iuridicâ, sagaciter indagas ambiguitatem religionis, quae est unâ ex parte refugium et solacium *animulae vagulae blandulae*, ex alterâ parte nos de theodiceâ deliberantes relinquit expertes spei et consilii, *Arthurum* et *Naumburgensem* necnon *Deschnerum* irrisionis et accusationis cupidissimos. Ingenium talium criticorum acerrimum movet nobis admirationem, sed neque consolatur neque calefacit animulam nostram timore doloris atque mortis sollicitam. Haec hactenus nimis breviter de re gravissimâ, maiore tractatu sanê dignissimâ. Perge Latinê philosophari, optime Naevi: ista tempestas rerum quam patimur, cogit nos, ut principia vitae nostrae nunc accuratius consideremus quam tempore quietiore. *Ducunt fata volentem, nolentem trahunt: Seneca Lucilium* adhortatur, ut *vindicet se sibi* (ut habeat sat multum temporis ad philosophandum): **vindicemus nos nobis**. Cura ut valeas pancreaticê. **Medullitus Nic.**

d.16. m.Apr. a.2023 h.12.35

Nicolaus Naevio suo sal.pl.

<https://www.mmnews.de/wirtschaft/197179-deutschland-wird-abgeschaltet>

Nos a stultissimis gubernari iam pridem scimus. Tamen penuria energiae et destructio officinarum industrialium in Germaniâ non fit sôlâ stultitiâ gubernantium, sed summâ malevolentîâ illorum, qui stant post siparia. Interitus Germaniae efficitur consulto et datâ operâ **Vale semper, NIC.**

1.089.781 Aufrufe 02.03.2023

A 3D animated short film about not too distant but a dystopian future. It speculates on the potential consequences of the infamous Great Reset, medical tyranny, woke culture, and green agenda. Everything, that World Economic Forum (WEF) is planning for us. If you'd like to buy me a beer, here is my PayPal address: oleg@3depix.com Spoiler: you will get to see an animated Klaus Schwab. – [notpc48](#) „If someone says "that can't happen here", show them this and remind them of the last few years. Everything that we were called "conspiracy theorists" for has turned out to be true.“

NICOLAUS CORACOPOLITANUS = DAEMON DAVOSIENSIS

d.17. m.Apr. a.2023 h.15:10

Nicolaus Naevio s.

Cinema horribiliter bonum! O amice optime, quomodo hoc opus mirabile invenisti? Utinam quam plurimi homines hoc cinema spectent, ut intellegant, quantum periculum nobis immineat omnibus. Mundus *Schwabianus* mihi videtur maximê horribilis, vita post "*Magnam Schwabificationem*" non iam digna, quae vivatur. **Vale semper NIC.**

d.17. m.Apr. a.2023 h.18:22

<https://www.tichyseinblick.de/daili-es-sentials/die-bizarrsten-politiker-kommentare-zum-kernkraft-ausstieg/>

d.17. m.Apr. a.2023 h.19.10

Nicolaus Naevio s.

Imago Emiliae est verê symbolica ... quâ illustratur finis aetatis rationalismi et illuminismi, initium infantilismi et tenebrarum ideologiae insanissimae... Revertimur in aetatem mediam--- v. fabulam *Roberti Harris: The Second Sleep* https://de.wikipedia.org/wiki/Der_zweite_Schlaf

d.18. m.Apr. a.2023 h.02.34

<https://www.youtube.com/watch?v=jX6ih1jw6cc>

Musik als Zeitkritik: **Sapere Aude** (lat.; dt.: Wage es weise zu sein!)

d.18. m.Apr. a.2023 h.09:55

Naevius Nicolao s.

In re optime, sed paulum dubito de modo ... scil. ille *Haditsch* studet capere benevolentiam iuventutis; sed timeo ne sic cantans ridiculus esse videri possit. **Vale, N.**

d.18. m.Apr. a.2023 h.10.44

NICOLAUS NAEVIO SAL.

Equidem stupeo: Non putaram eum audere ad tantam trivialitatem descendere. Sed eo ipso *Martinus* mihi etiam plus placet: Non est arrogans '*caput ovale*' (ut aiunt Americani), sed *homo est, nil humani a se alienum putat*. De effectu, quem sperat se habiturum esse ad iuvenes, ego quoque vehementer dubito. Sed - aut ait Propertius - *IN MAGNIS VOLUISSE SAT EST*. Quid cogitas de cinemate, c.t. "*After reset*"? Miseret me miseri *Kowalskyi*: similis est *Winstonio Orwelliano*. Opusculum mirabile. Utinam spectent hoc cinema quam plurimi, ut discant, in quali mundo vivamus. SOPHOS ! **Vale semper, NIC.**

d.18. m.Apr.2023 h.10:57

Naevius Nicolao s.

Recte, arrogans noster *Martinus* certe non est; *Kowalskyi* est revera versio quaedam moderna illius *Winstonii*. Postremo rebellat etiam is, delet *fucum telerectum*. Haec scaena similis est illi scaenae Orwellianae, in qua *Iulia Winstoniusque* (post scelus sexuelle) a bicolytis praefecturae cogitationum sceleratarum (*thought police*) capiuntur. **Vale, N.**

d.18. m.Apr.2023 h.11.25

Nicolaus Naevio s.

Scilicet rectè explicas. Hoc cinema scattet allusionibus Orwellianis. Pugna desperata, quam *Kowalskyus* pugnat baculo peniculi latrinarii, est ultimus conatus hominis humana servandi. Utinam fortunam *Kowalskyi* evitare possimus. Ceterum "*fuci*" sunt apes mares; aeroplana telemoderata secundum *Gaium Licoppe* appellamus TELEPLANA (*teleplanum, -i n. "*Drohne*", https://de.wikipedia.org/wiki/Unbemanntes_Luftfahrzeug (angl. *unmanned aerial vehicle*, UAV, oft *Teil eines umfassenderen Systems*, engl. *unmanned aircraft system*, UAS): Haec hactenus, **NIC.**

d.18. m.Apr.2023 h.11.42

Naevius Nicolao s.

Gratias tibi ago; recte, apparet multas tales allusiones inesse; emendatio: *Kowalskyus* delet aeroplanum telemoderatum. Quae desunt - villae divitium et potentium; vici, in quibus habitant sodales factionis internae (*Members of the Inner Party - eg O'Brien*) [https://en.wikipedia.org/wiki/O%27Brien_\(Nineteen_Eighty-Four\)](https://en.wikipedia.org/wiki/O%27Brien_(Nineteen_Eighty-Four)) **Vale, N.**

CINEMA SPECTATU DIGNISSIMUM



***“Beyond the reset”* - cinema dystopicum ab Oleg Kuznetsov
ingeniosê confectum – spectatu dignissimum**

<https://www.goyimtv.com/v/3095890768/BEYOND-THE-RESET---Animated-Short-Film>

DULCE EST DESIPERE IN LOCO



IMMANUEL KANT (1724-1804)

SAPERE AUDE !

HOR.Epist.I,2,40



DULCE EST DESIPERE IN LOCO

HOR. carm.IV 12,28

»...si quid petulantius aut loquacius a me dictum videbitur, cogitate et Stultitiam, et **puellam Prasinam** dixisse«.

ERASMUS, Moriae Encomium 68.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA- Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50


14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040 6A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	0050	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 –	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

	6A		Libri audibiles						
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM SEPTUAGESIMAM QUARTAM**



SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE

PERFECIT

Die Martis, 18. m.Apr. a.MMXXII



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**